Q.K.398,32.
(X 202 1070)
Y b 1436

CHRONICON COENOBII MONTIS-FRANCORUM GOSLARIÆ,

Ejusdem Origines, progreſſum, fata, incrementa & decrementa, nec non ſeriem Præpoſitorum enumerans, Pontificum inſuper Maximorum, Præſulum, Ducum, Comitum, Dynaſtarum, & Nobilium vicinorum Privilegia, Diplomata, Tabulas, & literas recenſens, quibus varia, quæ tum temporis in adſitis terris memoratu digna contigere, præprimis verò vitæ Præſulum Hildeſienſium, ſecundùm ſeriem brevibus verbis explicatæ, junguntur.

Ex optimæ notæ autoribus & documentis authenticis congeſtum.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)
BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

FRANCOFURTI,
ANNO M DC IIC.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0001-1

Cicero libr. II. de Orat.

Hiſtoria eſt teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0002-7

B. L. S.

Multa in cœnobiorum ſcriniis & arcanis penetralibus abdita latere, quæ ad illuſtrandum ſtudium hiſtoricum apprimè faciunt, nemo facilè negaverit, cui facultas conceſſa eſt, ſitu obſita, à muribus aroſa, & à blattis exeſa eorundem documenta, diplomata, privilegia, Tabulas, & literas paulò accuratiùs inſpiciendi. Nec enim ea ad ſacram ſaltem, ſed etiam ad profanam hiſtoriam explicandam utiliſſima, imò quàm maximè ſunt neceſſaria. Inde cœnobiorum, templorum, fanorum, & ſacellorum ortus, altarium fundationes & dotationes, ordinum monaſticorum, fraternitatum, ſolennium ſacrorum & rituum obſoletorum inſtitutiones, Paparum, Archipræſulum, Præſulum, Abbatum, Abbatiſſarum, Præpoſitorum & Prioriſſarum cujusq; eccleſiæ indubitata ſeries, privilegia peculiaria ſacris locis conceſſa, ac demum fata, nec non incrementa & decrementa quarumvis eccleſiarum, unicè ferè depromi poſſunt. Præterea nemo eſt qui ignorat, quantùm emolumenti hiſtoriæ profanæ è diplomatum adminiculis accedat; quippe quæ bellorum veras origines, pacificationes, fœdera, permutationes, pacta antiqua, priſcorum locorum nomina, terminos, diſtinctionem, temporum accuratiſſimam ſupputationem, imò Imperatorum, Regum, Ducum, Principum, Comitum, Dynaſtarum, & nobilium cujuslibet regionis ſtirpes, aliàs vel ſub oblivionis ſqualore ſepultas, vel ſanè dubiis inextricabilibus involutas, luce meridiana clariùs ob oculos ponunt.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0003-2

Hæc me quoq; perpulere, ut collectis haud paucis Tabulis authenticis, hiſtoriam cœnobii Montis-Francorum Goslariæ contexere decreverim. Haud equidem diffiteor, tantas mihi vires minimè eſſe, ut tale quid nitore debito juſtaq; poſſim perficere elegantia. Id enim à viris in re hiſtorica verſatiſſimis (quales inter innumeros alios ſunt inſignes illi Meibomii, avus & nepos) ſaltem exſpectandum erit. Non tamen ideò animum deſpondi, ſat habens, qui tantorum virorum exempla, hoc eſt tanquam umbra corpus ſequar, & laboris impenſi præmium ſufficiens relaturus, ſi vel minimi quid in hac opella occurrerit, quod lectori hiſtoriarum amanti aliqualiter ſatisfecerit.

Exhibet verò hoc Chronicon tam urbis, in qua ſitum eſt, quàm cœnobii ipſius quantùm haberi poſſunt origines. His junguntur ſecundùm annorum ſeriem res hinc inde occurrentes & memoriâ dignæ, interſperſa brevi eorum narratione, quæ in vicinis terris ſuo quæq; tempore contigere. Nec ſeriem Præſulum Hildeſienſium omittere fas duxi; quippe qui Francobergenſium diœceſani fuere, atq; adeò jure merito ſuo ordine enarrari debuere. Tandem de familiis Comitum, Dynaſtarum, & Nobilium hiſce in terris quondam longè lateq; florentium quædam hinc inde addidi, ſperans fore, ut hæc quoq; lectori haud ſint ingrata. Hoc quicquid eſt opellæ tibi offero B. L. ex animo optans, ut lectu digni quid in eadem tibi occurrat, operam, ſi id conſeqvar, daturus, quò adhuc unum aut alterum ejusmodi Chronicon, plura nec lectu forſan injucunda continens, ſuo tempore Francobergenſe noſtrum ſequatur. Hiſce Vale Benevole & ſincere Lector, errores humanos hinc inde dubiô procul ſæpiùs obvios ut homo humaniter ferens. Dabam è Muſéo III Cal. Jul. Anno MDCXCVII.

CHRO-

CHRONICON
MONTIS-FRANCORUM GOSLARIÆ.

ANTEQUAM de hiſtoria cœnobii Francobergenſis agere incipio, pauca de Goslarienſi urbe, in qua ſitum obtinet, præmittere animus eſt. Goslaria, cui nomen *à ſitu ad Goſam* fluvium eſt impoſitum, ex antiquiſſimis Saxoniæ urbibus eſt, priſcorum Imperatorum ſtudio & amore, ædificiis & incolis multùm aucta & ornata. Primordia ejus anguſta admodum fuere, mœnibus ſucceſſu tandem temporis largioribus redditis. Originum eadem quæ reliquarum Saxoniæ urbium eſt conditio, ut ſub ignorantiæ umbra latentes leves ſaltem conjecturas in easdem inquirentibus relinquant.

Dubitari tamen vix poteſt, quin ortus ejus ad Henricum I Imperatorem, Aucupis nomine vulgò notum, ſit referendus: is enim urbium Saxoniæ noſtræ almus parens & primus auctor haud immeritò audit. Hunnorum potentia & barbaries ſeculô decimô in immenſum excreſcebat. Nam Saxoniæ limites intrantes agrum obvium ſusque deque habebant, nulli parcentes ſexui, nulli ætati. Actum erat de Saxonia, nî Henrici prudentia malo remedium quæſiviſſet. Is, ſaluberrimis legibus latis, ſuos armorum uſum edocuit, & urbes tanquam obices barbarorum rabiei oppoſuit.

Hoc innuunt (a) *Albertus Krantzius,* Goslariæ originem Henrico diſertè adſcribens, (b) *Magnum Chronicon Belgicum*, (c) *Schiphovveri Chronicon Oldenburgenſe*, (d) *Bodo*, aliique, his verbis:

(a) *Saxon. l. 3. c. 12.* (b) *ap. Piſtor. T. I. p. 75.* (c) *ap. Meibom. ſcript. rer. Germ. T. 2. p. 130.* (d) *ſyntagm. abbat. Gandes. ap. eund. T. 2. p. 490. Vid. etiam Chron. Theod. Engelhus. p. m. 175. Gobel. Perſon. Coſmodr. æt. 6. c. 47. & aut. inc. fundat. aliqu. eccl. ap. Maderum.*

Loca immunita muris & foſſis cinxit (Henricus,) *urbes verò legibus & moribus formavit; Henricus rex condidit Goslariam; Henricus Goslarienſem fundavit civitatem; Henricus Goslar ædificavit.*

Hinc in errore verſantur, qui Goslariæ origines Henrico III Imperatori adſcribunt, qui multis annis poſt Aucupem vixit. Hic enim Anno DCCCCXXXVI fatô fungebatur, ille verò annô demum trigeſimô nonô ſupra milleſimum imperium capeſſebat. Taceo quòd jam ævô Ottonis magni Imperatoris urbis nomine venerit, id quod fide digni (a) autores teſtimoniô ſuô probant. Saltem hoc cum (b) *Krantzio* concedi poteſt, quod majus incrementum imperante Henrico III ceperit, id quod præprimis è perfectione templi cathedralis, quæ eidem debetur, patet.

In hujus urbis vicinia exſtant metalla æraria Rammebergenſia. Horum inventorem Ottonem magnum Imperatorem Henrici noſtri filium faciunt auctores. *Ejus namq; temporibus*, (c) *Dithmaro teſte*, *aureum illuxit ſeculum, apud Saxones primùm inventâ metallifodinâ; Otto Imperator*, uti (d) *Otto Friſingenſis* habet, *in terra Saxonica venas auri & argenti primus induſtriâ ſuâ aperuit; Otto primus*, referente (e) *Chronicô magnô Belgicô*, *venas argenti & æris juxta civitatem Goslariam in Saxonia invenit*, ac demum, (f) *Chronico Magdeburg. notante, primus* (Otto) *venas argenti & æris juxta civitatem Goslariam invenit.*

Ottonis magni ſucceſſores ſæpius ad hanc urbem ſeceſſere, quô ſplendor ejusdem haud parum crevit, præprimis, cùm haud raro comitia in eadem celebrarentur, magnique momenti negotia componerentur. Sacra inter, quibus gaudet, ædificia præeminet templum cathedrale D. Matthiæ Apoſtolo dicatum. Hoc, uti referunt, Conradus II Imperator fundavit, & ſucceſſor ejus Henricus III filius ad umbilicum duxit.

(a) *Magn. Chron. Belg. p. 79. Sigeb. Gemblac. ad ann. 968. Chron. Archi-Epiſc. Magdeb. ap. Meib. ſub init. Bodo loc. cit. p. 495.* (b) *Saxon. l. 3. c. 11.* (c) *Chron. Mersburg. l. 2. p. 24.* (d) *Chron. l. 6. c. 24.* (e) *ap. Piſtor. p. 79.* (f) *ap. Meibom. ſub init.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0006-9

duxit. (a) Leo IX Papa, ſeptuaginta tribus Cardinalibus, Epiſcopis, & Abbatibus adſtantibus, auguſtas haſce ædes inaugurâſſe ſcribitur.

Illas ſi Europæ ſeminarium quis dixerit, haud multùm à veritate aberrabit. Dedere enim *Eccleſiæ Romanæ* Clementem II Papam, *Colonienſi* Annonem, quem Henricus III Imperator in deliciis habebat, eidemque ſuffectum Hildolphum, Henrici IV Imperatoris Capellanum, *Treverenſi* Landolphum, *Moguntiæ* Ricolphum, *Magdeburgenſi* Engelhardum, Hartwicum, Conradum, & Guntherum, *Hamburgenſi* Liemarum Archipræſules, & præter hos variis aliis Eccleſiis quadraginta unum Præſules.

Nec modica magnatum tam Saxonicorum quàm exterorum turba artibus liberalibus hicce loci quondam eſt imbuta, quos inter nominari merentur Hecelo è Saxoniæ Marchionibus Præpoſitus, Goslarienſis & poſteà præſul Hildeſienſis, Anno Comes Daſſilienſis, Archipræſul Colonienſis, Bruno è ducibus, Carinthiæ, qui commentarios in Pſalmos Davidis confecit, præſul Würceburgenſis, Svigerus de Meyendorf, Henrici III Imperatoris Cancellarius, poſteà Præſul Bambergenſis, Benno Werneri filius Comes Woldenbergenſis & Præſul Miſnenſis, Adelhogus, è Comitibus neſcio quibus oriundus, Præſul Hildeſienſis, Siffridus Comes Querfurtenſis, Præſul ibidem, Henricus Comes ab Aslo, Archipræſul Magdeburgenſis, Ludolphus Comes Slademenſis, Præſul Halberſtadenſis, Conradus Comes Querfurtenſis, Arnoldus Comes Solmenſis Præſul Bambergenſis, & Guilielmus Comes Querfurtenſis.

Præter hoc templum cathedrale quatuor ſunt in urbe ſic dicta parochialia, B. B. Coſinæ & Damiani in foro ſitum, quòd ideo in Tabulis templum forenſe nuncupatur, B. Jacobi, B. Stephani, & B. Thomæ. E cœnobiis præcipua ſunt Mons D. Georgii, in colle ad muros ſitus, ab Henrico Aucupe cœptus, à Conrado II, Henrico IV & Henrico V Imperatoribus auctus, & à Friderico Barbaroſſa XII Canonicis regularibus inſtructus, à civibus verò Goslarienſibus Anno MDXXVII impio

 furore

(a) *Mader. antiquit. Brunſv. p. 145. Letzner. Chronic. monaſt. MS. p. m. 224.*

furore deſtructus; S. Sepulchri in ſuburbio ad portam B. Viti ſitum, quod xenodochii locum poſteà ſupplevit; Franciſcanorum eidem uſui dicatum; & Novi-Operis à Volcmaro de Lichtenſtein Advocato Cæſareo in honorem DEI & B. Mariæ Virginis Anno MCLII fundatum, ſed annô demum milleſimô ducenteſimô perfectum. Et tantùm de Goslaria, nunc ad rem.

Augeſcente indies re metallica montis Rammenſis metallicorum quoque increſcebat penuria. Hæc ut reſarciretur, artifices periti è Franconia advocabantur, qui curam gererent, quò opus paulatim majus caperet incrementum. Hi Montem-Francorum inſidentes nomen eidem primi dedere, quò etiamnum poſteritati notus eſt. Locum hûc facientem (a) ex *Theod. Engelhuſio* referam: *Homo iſte* (Gundelkarl) *non ignorans, quantùm utilitatis mons* (Rammenſis) *haberet, Franconiam adiit, erat enim Franco, & plures gentis ſuæ viros ſocios ſecum ſumens locum ædificare cœpit, venas metallorum, cupri, plumbi, & argenti, reperit, ditatus ultra modum; ſicq; plures accurrentes civitatem ædificant. Sic locum illum alienigenæ fundantes Saxoniæ ceſſerunt; unde adhuc montem eundem quondam Franckenberg nominaverunt.*

Huic monti ſuperſtructum eſt templum D. Petri Apoſtoli, quod quônam cœperit annô mihi equidem non conſtat. Si conjecturæ locus eſt, ſtatim forſan ſub Francorum adventum ſtrui potuit, ſucceſſu temporis mole auctum. Situm quondam extra muros habuit, ſed iisdem amplioribus redditis ambitu mœnium poſtea eſt concluſum. Huic ut præfixos ſtatueret limites Udo Præſul Hildeſienſis, cives Goslarienſes inſtanter petiere. Udo, precibus eorum annuens, haſce conceſſit Tabulas:

In nomine ſancte & individue trinitatis & intemerate genitricis beate Virginis MARIE.

UDO DEI gracia Hildenesheimenſis Epiſcopus notum

(a) *Chron. p. 176.*

tum eſſe volumus omnibus CHRISTI noſtrique fidelibus, tam fut uris quam preſentibus, quia per peticionem & interventum optimorum civium Goslarienſium, ob devotum ſervicium eorum circa nos ſemper benivolum, & inſtinctu aliorum fidelium noſtrorum, eccleſie S. Petri Frankenberc omnes fines ville Goslarienſis occidentales a plateis que dicuntur Berningi, Werenheri, Biermanni, usque ad regis Capellam & S. Marie, & ad terminum predicte B. Petri eccleſie, cum univerſis que in his partibus noſtri epiſcopalis juris & poteſtatis ſunt, vel eſſe poterunt, videl. jura baptizandi, infirmos viſitandi, oleo ungendi, ſepeliendi, ceteraque eccleſiaſtice cure attinencia, excepta ſinodali poteſtate, ſub teſtimonio ac conſciencia bonorum virorum, qui ſunt Conradus prepoſitus, Fridelicus pr, Uldaricus miniſter de Hildeneshem, Ameco, Bernhardus, Arichin, Widego, Bernhard, Marcolf, Segenbrecht, Meino, Tidico, Brun, Heriman, Adelman, Balderam, Berelm, Jemmico, Gerhard, Ruder, Benico, Mannico, Liudolf, Alico, Adelhard, Reinzo, pontificali poteſtate proprie donavimus, confirmavimus, perpetuo jure retinenda & habenda conceſſimus, ea ſcil. condicione atque ratione, ut nullus ſucceſſorum noſtrorum, aut imperator, ſive Rex, ſeu quelibet judicialis vel potentis perſona, magna vel modica, hoc donum demere, alienare, ſeu ullô modô turbare aut inquietare preſumat, ſed prefata eccleſia hanc tradicionem cum omni manſuetudine eternaliter teneat. Quod autem hoc noſtrum pontificale datum inconvulſum, ratum

tum quoque & firmum ſempiterno maneat evo, hoc privilegium ſcribi ac ſigilli noſtri impreſſione mandavimus ſignari. Datum eſt autem III. ID⁹ MAI. Anno quidem Dominice incarnacionis M°. C°. VIII°. indict. VIII. anno vero V. HEINRICI REGIS III°. factum Goslariæ feliciter AMEN.

Huic D. Petri templo junctum eſt poſteris temporibus cœnobium monialium, cujus hiſtoriam in hoc Chronico pertexímus. Quônam id cœperit annô, de eo controverſiam inter ſe habent autores, cûm fundationis Tabulæ haud ſint ſuperſtites. Quidam primordia ejus in Conradi II Præſulis Hildeſienſis tempora, annô tamen non expreſsô, referunt. Alii, eosque inter (a) *Letznerus*, perhibent, fundationem hanc in Annum MCCIX cadere. Verùm haud pauca ſunt quæ mihi perſuadent, annum circiter vigeſimum quintum vel ſextum ſeculi decimi tertii natalem cœnobii hujus rectè nominari poſſe.

Auctor fundationis duplex citatur: (b) *Sagittarius*, (c) *Topographia Brun. & Luneb. &* (d) *Catalogus Epiſc. Hildes. MS.* Conradum præfatum præſulem, (e) *Letznerus* verò Agnetem Henrici ducis Saxoniæ & Comitis Palatini ad Rhenum, Henrici Leonis filii, uxorem fundamenta cœnobii jeciſſe volunt. Mihi hæc eſt ſententia, Conradum jure meritoque autorem ejus haberi, id quod, præter allegatorum locorum auctoritatem, aſſidua cura, quam pro commodo hujusce plantationis geſſit, probare videtur. Pauca hicce loci de Conrado II ediſſeram: ortum debuit prænobili Reyſenbergiorum in Wetteravia ſtirpi, & ad literas à pueris ſedulo incubuit. In Academia Pariſina publicè docuit, vitæ & morum integritate cunctis ſe commendans. Decanus Spirenſis & Canonicus Moguntinus denominatus modeſtiâ, doctrinâ,

(a) *Chron. monaſter. MS. p. m. 249.* (b) *Hiſtor. urb. Goslar. p. 18.* (c) *Meriani p. 83.* (d) *in Conrado II.* (e) *loc. citato.*

ctrinâ, & facundiâ Canonicos Hildeſienſes adeò ſibi devinxit, ut Siffrido I mortuo eundem ſuffecerint. Notandus hic venit ſcriptorum error in anno initiali ejus enumerando. (a) *Chronicon Saxonicum*, quod (b) *Büntingius* ſequitur, annum milleſimum ducenteſimum undecimum denotat: aſt præter auctoritatem (c) *Gaſparis Bruſchii* & (d) *duorum manuſcriptorum*, annum ſeculi decimi tertii vigeſimum primum numerantium, Tabulæ authenticæ idem firmiſſimè probant. Ne ſim prolixus, unum exemplum è multis proponam: Conradus conventui Francobergenſi menſe Martio anni M CC XXXIX dimidium decimæ Novenenſis conferens ſub calcem addit *annô Epiſcopatus noſtri* decimô octavô. Demantur octodecim è triginta novem, reſtabunt viginti unus annus, qui eſt verus Conradi initialis.

Hic præſul Franciſcanos ac Dominicaſtros in urbem Hildeſienſem primus recepit, cœnobium ordinis B. Mariæ Magdal. in eadem exſtruxit, palatium epiſcopale ruinam minans inſtauravit, arces Winceburgenſem & Schardeccenſem perfecit, ac demum Empenoviam & Inſulam, quæ arx erat Hildeſiæ imminens, prædonum latebras expugnavit & ſolo æquavit.

Cœnobii noſtri ædificiis ad umbilicum ductis colonia ſororum pœnitentium B. Mariæ Magdalenæ, ordinis B. Auguſtini, eodem deducebatur. Hæ in ſeculo viventes vitam in variis deliciis, luxu, libidinibus & voluptatibus tranſigebant; ſed ad ſaniorem reverſæ mentem ſeriam pœnitentiam in ejusmodi cœnobiis agebant. Hinc in Tabulis audiunt *mulieres, quæ jamdudum in limo profundi infixæ, videlicet in ſordibus peccatorum, ad ſemitam virtutis reductæ pœnitentiam ſuorum facinorum facere DEO ſtudent; quæ carnalium voluptatum illecebris abdicatis pro æternis deliciis obtinendis ſe cœleſti ſponſo dicârunt; quæ mundi vanitatibus abnegatis obtulerunt Domino laudis ſacrificium ſemetipſas.* Inde patet, cur ſororum pœnitentium nomine inſigniantur, nec non cur B. Mariæ Magdalenæ, inſignis illius peccatricis, ordini adſcribantur.

Novel-

(a) *p. m. 304.* (b) *de epiſcop. Hild. in Conr. II.* (c) *de Archiepiſc. & ep. Germ. c. 11. §. 29.* (d) *Catal. ep. Hildes. MS. in Conr. II. Vitæ eorund. MS. in eodem.*

Novellæ huic Coloniæ ſub initium res anguſta domi erat. Hinc dicuntur (*) *pauperes moniales, quæ facultatem non habent, de quo ſuſtentare valeant vitam ſuam; quæ junctæ ſunt paupertatis funibus, ut ſine ſubventione fidelium nequeant ſuſtentari; quæ egent fidelium eleemoſynis; quibus ad ſuſtentationem propriæ non ſuppetunt facultates; depreſſæ inſupportabili ſarcina paupertatis; quæ in paupertate diu noctuq; deſerviunt, eleemoſynis præ nimia paupertate indigentes.*

Huic inopiæ auſpicatò opem tulit ſuetus eorum temporum modus argentum corradendi, remiſſio nempe peccatorum, indulgentiarum nomine vulgò nota. Harum primas conceſſit Otto Cardinalis ſedis Romanæ legatus per Germaniam hiſce Tabulis:

OTTO miſeracione divina S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis, apoſtolice ſedis legatus, univerſis CHRISTI fidelibus preſentes has literas inſpecturis ſalutem in Domino. Quoniam, ut ait Apoſtolus, omnes ſtabimus ante tribunal CHRISTI, recepturi, prout in corpore geſſimus, ſive bonum fuerit ſive malum; oportet nos diem meſſionis extreme miſericordie operibus prevenire, & eternorum intuitu ſeminare in terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in celis, firmam ſpem fiduciamque tenentes, quod qui parce ſeminat parce & metet, & qui ſeminat in benedictionibus de benedictionibus metet vitam eternam. Cum igitur dilecte in Chriſto pauperes ſorores penitentes S. Mar. Magdal. in Alemannia proprias non habeant facultates, unde valeant ſuſtentari; univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur in Domino, & in remiſſionem vobis injun-

(*) *Vide paſſim Tabulas.*

injungimus peccaminum, quatenus de bonis à Deo vobis collatis pias elemoſinas & grata eis caritatis ſubſidia erogetis, ut per ſubvencionem veſtram earum inopie conſulatur, ut vos per hec & alia bona, que Deo inſpirante feceritis, ad eterna poſſitis gaudia pervenire. Nos enim de omnipotentis Dei miſericordia, & B.B. Petri & Pauli Apoſtolorum meritis & interceſſione confiſi, omnibus, qui ad loca ipſarum acceſſerint, vel elemoſinas ſuas per nuncios ſuos deſtinaverint, XL dies de injuncta ſibi penitencia legacionis auctoritate, qua fungimur, miſericorditer relaxamus. Dat. Conſtencie Anno Domini M°. CC°. XX°. IX°. ind. II. XIV°. Kal. Januar.

Otto, de quo hic ſermo, & cui nomen Blanci de Alerano antea fuit, originem Marchionibus Montisferrati debuit. Cardinalis dignitatem nactus eſt Romæ menſe Septembri (a) Anno MCCXXVII à Gregorio IX Papa. Munere legati Sedis Apoſtolicæ per Germaniam functus, & ex Diacono Cardinale tituli præmemorati Epiſcopus Cardinalis Portuenſis & S. Ruffinæ ab Innocentio IV Papa A. MCCXLIV in concilio Lugdunenſi creatus, diem ſupremum obiit Lugduni in Gallia Anno M CCLI ibidemque apud Prædicatores monachos terræ eſt mandatus.

Quod titulum S. Nicolai in carcere Tulliano concernit, ſcire oportet, Romanorum temporibus carcerem publicum eô in loco, ubi nunc templum conſpicitur, fuiſſe. Templi origines haud certò conſtant, antiquiſſimum tamen eſt. Alexander VI Papa (b) idem inſtauravit, & Petrus Aldobrandinus tituli hujus Cardinalis Anno M D XCIX parietes picturis eleganter exornavit.

(a) *Vid. Onuphr. Panvin. de Pontif. Rom. in Gregor. IX. & Innoc. IV.*

(b) *Vid. Rom. antiquit. & nov. p. 319.*

Hiſce mediis nummi paulatim accrevere, facultate ſororibus conceſſa coëmendi fundos in uſum conventus. Mittebantur enim in regiones adſitas qui eleemoſynas peterent, quibus teſtimonium conceſſere Guilielmus D. Petri & Thomas D. Stephani Moguntiæ Decani, conſervatores & judices ordinis B. Mariæ Magdalenæ per Germaniam à Papa conſtituti, *cunctos Chriſti fideles rogitantes, ut ſororum inopiæ larga manu ſuppetias ferre dignarentur, additis præmii locô quadraginta dierum indulgentiis.*

Has novis auxit Gregorius IX Papa Anno MCCXXXII Non. Junii, Calend. Auguſti, & XIV Cal. Decembris Agnaniæ, Reati, & Spoleti in integrum annum & XL dies conceſſis. Conventus igitur divitiis augeſcentibus A. MCCXXXIV à Baſilio Wenthuſio & Guncelino Oſterrodio fratribus IX agrorum ſic dictos manſos & molendinum Mechtegeshuſæ ſita coëmit. Hæc bona feudi titulô tenebantur ab ecclesia Hildeſienſi, & à præfatis fratribus Siffrido de Gowiſche Leonhardi filio collata erant, qui eadem conventui liberè reſignabat. Teſtes: Bertholdus & Arnoldus fratres, Volcmarus Giſelbertus, & Siffridus Leonhardi filii de Gowiſche, milites, Rudolphus de Goſa, Vicelinus Vorſterus, aliique quam plures.

Oſterrodiorum familia hîc obvia è primariis harum terrarum quondam fuit, ſedem in arce vetuſta Oſterrodia, in vicinia jugorum Hercyniorum ſita, habens. Hanc ſub Comitum Lutterbergiorum, quibus à Saxoniæ Ducibus feudi titulô collata fuerit, imperio aliquamdiu fuiſſe, & Hermannô ſtirpis noviſſimô Anno MCXLIII emortuô ad Henricum Leonem, Bavariæ & Saxoniæ Ducem potentiſſimum, rediiſſe legitur in (a) *Topographia Brunov. & Luneburgenſi.* Verùm ſtirps Lutterbergia in Hermanno minimè periit; nam ex (b) *M. Henrici Eckſtormii Chronico Walkenredenſi* conſtat, ultimum ejus Comitem Ottonem fuiſſe, & Anno MCCCXCVII demum diem ſupremum obiiſſe.

De Oſterrodiis pauca invenire mihi licuit, Baſilii tamen nomen occur-

(a) *Merian. p. 178.* (b) *pag. 15.*

occurrit in tabulis Ottonis IV Imperatoris, quibus cœnobio Riddagshuſano defenſionem Anno MCXCVIII pollicetur. Idem teſtis citatur in aliis Tabulis XIV Cal. Jun. Anno MCCIX ab eodem Ottone datis. Idem nomen, advocati Oſterrodenſis titulô additô, legitur ad Annum MCCXLIII Guncelini patris & filiorum Alberti, Burchardi, Guncelini, Ecberti, Hermanni & Erneſti, mentio incidit in Ann. MCCLXVII. Sic quoque Wenthuſiorum, ejusdem ſtirpis nobilium (nam domiciliorum ratione ſaltem diſtinguuntur) raro occurrit mentio. Noſtri tamen Baſilii nomen circa Annum MCCLX conſpicitur, quippe quô cœnobio D. Blaſii Northeimii agros quosdam Godenſtedæ obtulit. Uxor ejus citatur, ſed nomine non expreſſo: filii verò fuere Aſchwinus & Guncelinus. Horum inſignia appicta exhibeo:



Graviter circa hoc tempus litigabant Conradus II Præſul Hildeſienſis, & Otto puer Dux Brunov. & Luneburgenſis. Cauſam litis fuiſſe perhibent (a) *Vitæ Epiſc. Hildes. MS.* quòd Otto ſummam in Epiſcopatu Hildeſienſi auctoritatem efflagitaverit. Vicini pacis amantes fruſtra rixam componere allaborabant; ſed auſpicatò à Friderico II Imperatore comitia Moguntiæ celebrabantur. In hiſce ingens principum & Magnatum turba, eosque inter Otto & Conradus comparuere. Hi duo principes cauſam ſuam coram Cæſare & ordinibus Imperii expoſuere, ſolidis utrimque argumentis productis. Sed Otto causâ cecidit, ſententiâ latâ, ut diœceſis Hildeſienſis ab alieno dominatu eſſet libera.

(a) *in Conrad. II.*

In ſplendidisſimis hiſce comitiis Anno MCCXXXV habitis Otto puer, Princeps prudentiâ, fortitudine, & armorum peritiâ clarus, XII Cal. Septembris primus (a) Brunovic. & Luneburg. Dux à Friderico II Imperatore ſolenni ritu denominatur. Splendidæ huic dignitati, quò eò eſſet amplior, decimæ metallorum ærariorum Goslarienſium, ad imperium anteà ſpectantes, junguntur.

Conventus noſter paulatim accreſcens papali defenſione meritò firmandus erat, ideoque à Gregorio IX Papa haſce literas nanciſcebatur:

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis prepoſito & ſororibus penitentibus monaſterii S. Marie Magdalene in Gozlaria, Ildeſemenſis diocesis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor equitatis quam ordo exigit racionis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Quapropter, dilecti in domino filii, veſtris juſtis poſtulacionibus grato concurrentes aſſenſu perſonas veſtras & monaſterium, in quo divino vacatis obſequio, cum omnibus bonis, que impreſenciarum racionabiliter poſſidet, aut in futurum juſtis modis preſtante domino poterit adipiſci, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus. Specialiter autem terras, poſſeſſiones, & alia bona, que monaſterium ipſum ex pia conceſſione fidelium canonice fuerit aſſecutum, ſicut ea omnia juſte ac pacifice poſſidetis, vobis & eidem monaſterio per vos auctoritate apoſtolica confirmamus, & preſentis

(a) *De eo vid. amplius clariſs. Meimbom. de erect. Duc. Brun. & Luneb. ſcript. rer. German. T. 3. p. 203.*

ſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre protectionis & confirmacionis infringere, vel ei auſu temerario obviam ire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignacionem omnipotentis Dei & B. B. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Peruſii IV non. Auguſti, pontificatus noſtri anno nono.

Idem Papa Anno MCCXXXVII novas C dierum indulgentias cœnobio largitur, literas IV. Cal. Oct. ad Priores & Fratres ordinis Prædicatorum ac Minorum per Germàniam dat, ac eosdem populum pro concione exhortari jubet, ne egenis hiſce monialibus ad ſuſtentandam vitam larga manu ſubvenire cunctaretur. Et quò dona ſororibus oblata à turbatorum manibus eſſent immunia, privilegium adjicit, eleemoſynas canonicè oblatas ritè recipiendi, ac liberè poſſidendi, junctis in transgreſſores gravibus minis.

Hic Papa antequam ad ſedem Romanam perveniret, Flugolini nomen geſſit, Agnaniæ originem debuit, Innocentii III nepos & Honorii III ſucceſſor fuit, & XIII Cal. April. Anno MCCXXVII è Cardinale Epiſcopo Oſtienſi & Veliterno Papa factus eſt. Hic Fridericum II Cæſarem ad expeditionem Aſiaticam ſeriò exhortabatur. Fridericus ſe id ſolum curare ſimulans, ut Chriſtianis in Palæſtina ſub impiorum jugo gementibus opem ferret, Cyprum inſulam & Acconem cum claſſe perrexit, ſed re infecta Brunduſium rediit, Papæ ſtudium planè eludens. Paulò tamen poſt in gratiam cum Papa rediit M. CXX auri unciis perſolutis. Gregorius turbas populares haud diu pòſt Romæ excitatas lenitate potiùs quàm armis compoſuit. Recrudeſcentes verò non niſi juſto exercitu ſedari potuere. His ſucceſſère iteratæ cum Friderico II ſimultates: hunc enim Gregorius, pace inter Genuenſes & Venetos firmata, denuò diris devovit. Circa hæc tempora prodiere teterrima duarum factionum nomina, quæ motibus inteſtinis totam Italiam mirum in modum longo tempore concuſſere. Loquor de

Gibellinis & Gvelphis tantas turbas excitantibus, ut cives in civium viſcera ſævirent, malô in dies latiùs ſerpente. Præter hæc Fridericus Cæſar Italiæ gravis incumbebat, quem ut domaret Papa concilium Romæ indixit Cæſari imperium abrogaturus. (a) Is verò itinera ad urbem terra marique tam arctè munierat & obſederat, ut Clerici ad Synodum vocati ab ejusdem introitu penitus arcerentur. Gregorius tantum ex eo cepit dolorem, ut mœrore animi confectus XI Cal. Aug. Anno M CCXLI obierit, cùm ſediſſet Ann. XIV, menſ. IV & dies III. Et tantùm de Gregorio IX Papa.

Nec Conradi Præſulis Hildeſienſis munificentia noſtris defuit: annô enim MCCXXXIX medium decimæ Novenenſis, ab Ulrico de Altafago reſignatum, ad anniverſarium obitus ſui diem celebrandum, iisdem confert. Teſtes: Gervicus Decanus, Meinardus Scholaſticus, Conradus Præpoſitus Montis, Henricus Cuſtos, Mag. Hermannus de Paderburna, Conradus ab Altafago Ulrici frater, Canonici Hildeſienſes, Henricus Comes Woldenbergenſis, Aſchvvinus & Leopoldus de Walmoden, Siffridus de Rutenberg, Conradus Marſchalcus, aliique.

Aſchvvinus de Walmoden modò nominatus, qui miniſterialis eccleſiæ Hildeſienſis dicitur, ab Eccleſia Gandeſiana petebat, ut dominium IX manſorum Novenii ſitorum, quos à præfata Eccleſia in feudo tenebat, ſibi conferret, oblatis, ad damnum reſarciendum, IX aliis Lindedæ ſitis. His ejus precibus lubenter annuit Capitulum Gandeſianum die Apoſtolorum Philippi & Jacobi Anno MCCXLI præſentibus Hermannô & Henricô Comitibus Woldenbergiis. Teſtes: Johannes, Theodericus, Siffridus, & Henricus, Canonici Gandeſiani, Petrus, Gerhardus, Godeſchalcus, Sacerdotes, Theodolfus Laicus, ejusdem ordinis fratres, Alexander, Bertholdus, Reinhardus, D. Matthiæ Goslariæ Canonici, Giſelbertus advocatus Goslarienſis, aliique.

Quid miniſterialis nomen hic obvium ſibi velit, optimè ab *inſigni*

(a) *Vide Platin. de vitis Pontific. p. m. 479. ſeq. Panvin. de Pontific. Roman. in Gregor. IX. Nigrin. de Eccleſ. Rom. l. 8. c. 9.*

gni Hiſtorico (a) *Henr. Meibomio* edocemur his verbis : *Sunt noſtri Equites*, die Ritterſchafft / *Saxonibus* die ehrbahre und gute Männer; *à miniſterio, quod ratione clientelæ principibus debent*, Knapen oder Knechte. *Ex his torque donati milites* Ritter / *reliqui famuli vel ſervi appellati fuere.* Idem *miniſteriales vaſallos* nominat, id quod ad vocabulum hocce explicandum ſufficiat.

Tabulis ſupra dictis jungitur clauſula : *Tartaris Chriſtianitatem impugnantibus inhumaniter.* His verbis innuitur ingens Tartarorum irruptio in Europam, quæ tum temporis *contigit*. De hac (b) *Chronicon Elvvangenſe* ita loquitur : *Tartari Poloniam, Tuſciam*, (Ruſſiam intellige) *& Ungariam ad generalem deſolationem redegere.* (c) Imò refertur, Polonos Ruſſosque è vaſtisſimis Sarmatiæ campis ipſis ceſſiſſe, & barbaros eosdem magnô numerô poſteà inhabitâſſe.

Circa hoc tempus conventui noſtro præponitur PETRUS in ordine ſecundus : nam de primo RUDOLPHO nomen ſaltem conſtat. Huic Conradus Præſul Hildeſienſis XV Cal. Sept. Anno MCCXLII donum aræ Eccleſiæ Francobergenſis propria manu porrigit, interdictô additô, ne quis Archidiaconus Goslarienſis ipſi vel ſucceſſoribus ejus litem de eodem moveret.

Hic Præpoſitus anni inſequentis VII Cal. Maji duas curias, IX manſos cum decima, molendinum, & ſex areas, cunctaque ad hæc bona ſpectantia, in & juxta Mechtegeshuſam ſita, centum argenti examinati marcis comparat. Hæc bona ſub dominio Eccleſiæ Hildeſienſis & Baſilio de Wenthuſen, Guncelino de Oſterrode fratribus, Siffrido filio Leonhardi de Govviſche, Walthero Siffridi è ſorore nepoti, Mathildi de Goslar viduæ, ejusque filiis Rudolpho & Reinero, in feudo collata erant. Hi, acceptis his C marcis, bona enarrata Conrado Præſuli renunciabant, à quo conventui noſtro titulô beneficii perpetui donabantur. Teſtes : Johannes Cellarius, Reinhardus Scholaſticus, Herman-

(a) *Script. rer. German. Tom. 1. p. 413. Vid. etiam Fabricii Chron. Miſn. & Cranc. metrop. l. 1. c. 2. & l. 3. cap. 11.* (b) *ap. Piſtor. ad ann. 1242.* (c) *Paralipom. ad Abb. Urſp. Chr. ſub init.*

Hermannus & Jordanus Clerici, Aſchvvinus & Henricus fratres de Montelapideo, Thidericus & Hugo fratres de Holthuſen, Henricus Pincerna, Johannes de Lutheren, Hermannus Senior ab Uslar, Conradus & Ludolphus fratres de Elvede.

Baſilius Advocatus & Senatus Oſterrodenſis hanc transactionem ratam habent. Teſtes : Gerhardus proviſor cœnobii D. Jacobi Oſterrodæ, Theodericus & Johannes Sacerdotes, Winandus, Baſilius, Conradus, milites, Dethmarus, Johannes, & Johannes, cives Oſterrodenſes.

VIII Cal. Maji ejusdem anni Rudolphus de Dalheim miles vendit monialibus curiam, III manſos, & IV areas Scheningæ CXXXV libris Hildeſienſibus. Horum bonorum decima à Rudolpho reſignata ſororibus confertur à Conrado Præſule.

Anno MCCXLIV Ulricus ab Altafago juri, quô in medio decimæ Novenii minoris fruebatur, renunciat, & literas à Conrado Præſule hunc in finem olim datas conſenſu ſuo approbat. Teſtes : Hojerus ab Altafago Canonicus Hildeſienſis, Conradus Capellanus Winceburgenſis, Conradus Sacerdos, Henricus Diaconus Bremenſis, Hermannus de Ganderſem miles, Johannes filius Rudolphi de Dalheim, Arnoldus & Anno pater & filius de Gowiſche.

Jus parochiale templi D. Petri Francobergenſis olim ad parochianos ſpectabat, ſed ab iisdem conventui dono dabatur in hiſce literis :

Venerabili Domino ſuo CONRADO Hildenſemenſis eccleſiæ Epiſcopo Y. miles in Goslaria, S. & R. milites, S. R. B. & J. & G Burgenſes S. Petri in Franckenberch parochiani, & alii quamplures ſue poſſibilitatis in omnibus obſequium. Bene recognoſcimus, quod eccleſiam noſtram quondam à Domino Ambroſio felicis memorie nobis reſignatam ſororibus penitentibus compaſſi pietatis viſceribus ordini B. Mar. Magd. donavimus dati donacione, nullo in eadem parochia reclamante, quia Rodolfus,

qui

qui tunc erat dicti ordinis prepoſitus, ad manus ordinis recepit, & domino Ambroſio, qui plebanus fuerat, contulit cuſtodiendam, tali condicione, ut poſt mortem ſuam unum fratrem ſacerdotem eligeremus de gremio ordinis in plebanum, eis promiſimus, & promiſſum in electione domini Petri, qui frater eſt & fuit ordinis, effectui debito mancipavimus. Verum, dominus DEUS eſt laudandus, divino flamine inflammati, cum preſens nequam ſit ſeculum & pronum in malum, veſtram rogamus ſanctitatem, quatenus intuitu DEI bona fide & fideli diligencia tam pium factum coram vobis inchoatum, & nuper etiam terminatum, veſtra auctoritate dignemini confirmare, quod nullus impoſterum pietatis illuſor valeat irritare. Quia commune ſigillum non habemus, preſentem literam ſigillo domini Volcmari ſolius aſſignavimus.

His aſſenſum præbet Conradus Præſul Anno MCCXLVI libertate addita præpoſitum paſtorem ſuum ſueto ritu denominandi.

Hermannus & Henricus Comites Woldenbergenſes decimam Novenii minoris reſignaverant; hanc idem Epiſcopus conventui addicit Id. Maji. Teſtes: Reinoldus Præpoſitus major, Conradus Præpoſitus Montis, Johannes Cellarius præpoſitus Alsburgenſis, Meinhardus Scholaſticus, Sigebodo de Scartfeld, M. Volcmari, Heydenricus Canonicus S. Crucis, Albertus de Monteſereno, Daniel & Godefridus Canonici S. Andreæ, Conradus Plebanus Honhamelenſis Clerici, Ludolphus Hallermundenſis, Adolphus Daſſilienſis, Henricus Junior Slademenſis Comites, Bertholdus ab Homburg, Hermannus ab Uslaria Nobiles, Bertholdus Advocatus, Siffridus de Rutenberg, Ludolphus Camerarius, Conradus Marſchalcus, Hugo ab Inſula, Rudolphus de Dalheim, Henricus & Aſchwinus fratres de Steinberg, Hugo ab Holt-

huſen, Ludolphus de Selede, Siffridus ab Eltze, Albertus de Novali, & Albertus Junior de Freden milites.

In hiſce literis triga dynaſtarum Saxonicorum vetuſtate conſpicuorum occurrit. Primus ex his eſt Ludolphus Comes Hallermundenſis, cujus origo falsò è peregrinis regionibus deducitur. Eſt enim indigena, & jam ante Caroli magni in has oras adventum floruit. Hallermundenſis comitatus ſitum habet in ducatu Brunovico-Calenbergenſi, & nomen ab arce Hallermundia, quæ priſcis temporibus ad confluentes Halleræ & Leyne exſtructa erat, traxit. Hallera rivus hunc comitatum ab occidente orientem verſus pererrat, & Halleræ fontibus, vulgò Springe/ ac Hallerburgo nomen elargitur. Hæc olim fuit arx munitiſſima, à civibus Hannoveranis, Münderenſibus, Pattenſenſibus, Eldagshuſanis, & cœnobio Wülfinghuſano, aſſentiente Guilielmô victoriosô Duce Brunov. & Luneburgenſi, annô M CCCC XXXV ſolo æquata.

Primus hujus ſtirpis, qui à (a) *Letznero* nominatur, eſt *Otto* filium *Lutbrandum* habens. *Ludolphus*, de quo hîc ſermo, ſecundùm Clariſſ. (b) *Meibomium* filius fuit Burchardi unà cum fratre Henrico Anno M CC XXXIV à Stedingis interfecti, qui è Jutta uxore ſuſcepit Gerhardum ſeniorem, Wernerum, Ludolphum, Canonicum, Hildeſienſem, & Wilbrandum. Longè ab eo differt (c) *Letznerus*, uti è ſchemate ſubjuncto patet:

WIGEBRANDUS

Ludolphus. Burchardus. Wulbrandus I. Adelheidis. Beatrix.

Wulbrandus II. Adelheidis. Gerhardus I. Eliſabetha. Gertrudis.

Ludolphus de quo hîc ſermo eſt. Gerhardus II. Henricus. Otto III.

Gerhardus III. Gerhardus IV. Otto IV.

Comi-

(a) *Geneal. comit. Hallermund. MS.* (b) *Scriptor. rer. Germ. Tom. 3. p. 354.*
(c) *loc. cit.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0022-8

Comites Daſſilienſes amplas olim habuere terras, nomenque ſuum poſteris notiſſimum fecere. Hoc ab oppido cognomine traxere, ſitum obtinente ad Ilmam rivum, qui paulò infra Eimbeccam Grubenhagenſis Ducatus metropolim Leynæ ſeſe miſcet. De his magnatibus eorumque ſtemmate & rebus geſtis fuſiùs egit (a) *Joh. Letznerus*, è quo partem ſtirpis hûc facientem addo:

GUILIELMUS
Uxor Mathildis de
Wincenburg.

Janus IV. — Hermannus II. — Siffridus. — Otto uxor Salome Pleſſenſis. — Henricus Claudus. — Fridericus Archi-Præſul Colonienſis.

Adolphus audax. — Hunoldus. — Bernhardus ob. A. 1126. uxor Anna Homburgia. — Reinholdus Archipræſul Colon. — Robertus. — Helmbertus.

Bodo — Hermannus Abbas Corbeienſis ob. A. 1259. — Jordanus monachus Amelunxbornenſis. — Ludolphus ob. 1259. uxor Lucca N. — Janus V. — Adolphus III. ob. A. 1292. hîc obvius. — Heidenricus obiit 1270.

Wittekindus. — Ludolphus. — Conradus. — Bernhardus ob. 1309. ux. Mathildis Woldenberg. — Simon ſtirpis ultimus ob. 1329. ux. Sophia. — Otto.

Sladeменſis comitatus in diœceſi Hildeſienſi eſt ſitus, & ſupereſt hodie arx Slademia peculiari præfecturæ nomen dans. Henricus Junior in Tabulis præfatis obvius parentem habuit Henricum, cujus mentio in annum MCCXXXI incidit, & fratrem Ludolphum Canonicum, poſteà verò præſulem Halberſtadenſem, qui Anno MCCXLI diem ſupremum obiit.

Anno MCCXLII turbæ per Germaniam recruduere; ordines enim

(a) *in Chronico ſuo Daſſil.*

enim imperii, partibus Friderici II Imperatoris, qui ab Innocentio IV Papa excommunicatus erat, derelictis, Anno MCCXLV Henricum Thüringiæ Landgravium Regem Romanorum creârunt. Conradus Friderici filius ægrè id ferebat, & Henricum gravi bello proſequebatur, qui victus contemtum principum incurrit, ignominioſo *Regis Clericorum* nomine deriſus. Papa verò Fridericum & Conradum æquè odio habens ordines ſeriò hortatur, ne partes Henrici derelinquerent, ſed in debellandis Friderico & Conrado auxilio ipſi eſſent.

Miſeram hanc rerum faciem & turbulenta hæcce tempora faſtidiens Conradus præſul Hildeſienſis unicè id curæ habuit, quò à munere ſuo ſeſe abdicaret, & reliquum vitæ in otio procul à turbis tranſigeret. Veniâ ejus à legato pontificio præſule Ferrarienſi impetratâ ſplendidam dignitatem derelinquit, & cœnobium Dominicanorum Hildeſiæ ingreditur. Nec tamen hîc à turbarum ſtrepitu immunis erat, ſchiſmate in Eccleſia Hildeſienſi oborto, & duobus præſulibus à Canonicis diſſidentibus electis. Hôc motus è Saxonia excedit, & ad cœnobium Schönavienſe juxta Heidelbergam ſitum ſeſe confert, reliquum vitæ, quod triennium haud excedebat, in eodem conſumturus.

Hallucinantur autem ſcriptores, qui XXIV regiminis annos Conrado adſcribunt. Hic error corrigi poteſt è Tabulis datis Id. Maji Anno MCCXLVII, pontificatus ejus vigeſimô ſextô, in quibus conventui Francobergenſi proprietatem decimæ Novenenſis confert. Ex eo patet, Conradum munus ſuum annis viginti ſex adminiſtrâſſe, ab eodem Anno MCCXLVII ſeſe abdicâſſe, ac trienniô pôſt in cœnobio Schönavienſi vitam finiiſſe.

Anno MCCXLVIII Innocentius IV Papa ordinis B. Mariæ Magdalenæ privilegia hiſce literis confirmat:

INNOCENTIUS epiſcopus ſervus ſervorum DEI venerabilibus fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, ad quos litere iſte pervenerint, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ex parte prepoſiti, prioriſſe, & ſororum S.

Mar. Magdal. in Alemannia, fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut, cum nonnulli privilegia & indulgencias eis perpetuo ab apoſtolica ſede conceſſa per obitum predeceſſorum noſtrorum vigore proprio aſſerunt deſtituta, providere ipſis ſuper hoc paterna ſolicitudine curaremus. Quocirca fraternitati veſtre per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus hoc non obſtante predicta privilegia & indulgencias in ſuo vigore ſervetis & faciatis a veſtris ſubditis obſervari. Dat. Lugduni VI non. Jul. pontificatus noſtri A. VI^to^.

Haſce literas Hilmarus ordinis B. Mariæ Magdalenæ per Germaniam Præpoſitus Coloniæ in exaltatione crucis transſcriptas & ſignô ſuô roboratas Francobergenſibus mittit.

Innocentium IV Papam, ut pauca de eodem eloquar, Anno MCCXLIII cœpiſſe, rectè ſcribunt (a) *Onuphrius Panvinius* & (b) *Helvicus*, probante id literarum præcedentium auctoritate. Ortum debuit familiæ Genuenſi Fliſcorum è Lavaniæ comitibus, Anagniæ, cùm ſedes ultra XX menſes vacâſſet, electus. Graves, ut dictum, altercationes cum Friderico II Imperatore habuit, imperium eidem in ſynodo annô MCCXLVI Lugduni celebrata abrogans. In Gallia remanſit ad turbarum usque Italicarum ſedationem. Pace enim concluſa in Italiam remigravit, ſed Neapolim veniens fatô functus eſt Ann. MCCLIII, cùm ſediſſet Ann. XI, m. VI, d. XI.

Anno MCCXLIX Rudolphus de Dalheim miles conventui confert dominium cujusdam areæ, quam Henricus cognomine dives reſignaverat, idque præcipuè hanc ob cauſam, quò ſororibus de moleſtiis illatis ſatisfieret. Teſtes: Ulricus ab Altafago, Henricus Sacerdos dictus ab Aſtveld, Henricus Diaconus Bremenſis, Petrus Sub-Diaconus,

 frater

(a) *de Pontific. Roman. in Innocent. IV.* (b) *Theatr. hiſtor. p. 132. Vide etiam Platin. de vit. Pontif. p. m. 488.*

frater Dancmarus aliique quamplures. Inſignia Dalheimenſium hæc figura monſtrat:



Anno MCCLI Hermannus Comes Woldenbergenſis & uxor ejus Hedvvigis ſororibus noſtris tres agrorum manſos, eorumque decimam, Scheningæ ſitos, & à Bernhardo de Lidinge patre, nec non Bernhardo & Henrico filiis, ac Conrado & Thiderico Bernhardi Senioris fratribus, reſignatos, conferunt. Teſtes: Henricus de Clauenberg, Arnoldus de Govviſche, Henricus de Sulingen, & Wernerus de Volquin milites, Henricus Sacerdos, Henricus Diaconus, Petrus, Johannes, & Petrus accoliti, Dietericus ab Aſtveld, Ulricus & Johannes fratres de Bilſten, & Ludolphus Coriarius.

Mortuô Anno MCCXLVII Henricô Landgraviô Thuringiæ Romanorum Rege ordines imperii, conſiliô Innocentii IV, Papæ eidem Nuſſiæ ſuffecere Guilielmum Hollandiæ Comitem. (a) Hic, Friderico II in exilio mortuô, Anno MCCL Francofurti ad Mœnum comitia celebrat, & anno ſequente uxorem ducit Eliſabetham Ottonis pueri Ducis Brunov. & Luneburg. filiam. Sed, incendiô ipſa nuptiarum nocte inauſpicatò obortô, mortem cum uxore vix nudus effugit.

Anno

(a) *Rolevvink. faſcic. temp. in Henr. VI. Pauli Lang. Chron. Citiz. ad ann. 1242. Chron. Slav. ap. Lindenbrog. ad ann. 1251. Krantz. Saxon. l. 8. c. 17. Fabric. mem. Saxon. ad ann. 1251.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0026-9

Anno MCCLII denuò ad ſocerum Brunovicum venit, & noſtris ſequentes concedit Tabulas:

WILHELMUS Dei gracia Romanorum Rex ſemper Auguſtus univerſis ſacri imperii fidelibus preſentem paginam inſpecturis graciam ſuam & omne bonum. Meritis ſacre religionis inducimur, ut, perſonas religioſas & loca ſacra benigni favoris gracia jugiter proſequentes, eorum peticionibus interdum benignum accommodemus auditum. Hinc eſt, quod nos dilectorum noſtrorum Prepoſiti, prioriſſe, & conventus monaſterii Montisfrancorum in Goslaria, ordinis penitentium, Hildeſemenſis diocesis, devotis precibus inclinati, monaſterium ipſum, & perſonas ibidem domino famulantes, cùm ſit novella plantacio, ſub protectione ſacri imperii atque noſtra liberaliter admittentes ipſos cum omnibus bonis ſuis, que largicione principum, nobilium, ſeu aliorum fidelium, ſive titulo emtionis vel donacionis aut legacionis, ſive quocunque alio juſto titulo, poſſident ubique locorum, vel imposterum juſtis modis preſtante domino poterunt adipiſci, ſpeciali proſequi volumus gracia & favore, & ea omnia eis & per eosdem monaſterio auctoritate regia confirmamus, tenore preſencium, diſtrictius inhibentes, ne quis ipſos contra hanc noſtram protectionem vel confirmacionem impedire audeat vel moleſtare. Quod qui facere preſumpſerit, graviſſimam celſitudinis noſtre offenſam noverit ſe incurſurum. Datum Brunſvvich Kal. Mart. Ind. X. Anno Dni MCCLII.

Qua-

Quadriennio pòſt periit Guilielmus ignobili morte in Friſia: (a) quidam eum in paludibus ſubmerſum, alii verò à Friſiis interfectum volunt, alii aliud mortis genus comminiſcuntur.

Anno MCCLIII die Bartholomæi Apoſtoli Conradus Scholaſticus & Hogerus Canonici Eccleſiæ Hildeſienſis, juri & actioni, quæ in medio decimæ Novenſis ipſis competebant, renunciant. Teſtes: Conradus de Piſcina, Ludolphus de Vinkelere, milites, Volradus Canonicus montis D. Petri, Henricus, Petrus, Henricus, Johannes, Sacerdotes Goslarienſes, & Henricus Diaconus Bremenſis.

Diximus ſuprà, ſchiſma in Eccleſia Hildeſienſi poſt abdicationem Conradi II obortum fuiſſe: pars enim Canonicorum Henricum præpoſitum Heiligenſtadenſem, pars verò Hermannum præpoſitum B. Cyriaci Brunovici elegerant. Ille, cûm Hermannus opibus, potentiâ, & amicis præpolleret, ferè nihil obtinuit, ideoque ad (b) Innocentium IV Papam Lugduni agentem ſeſe contulit, ac poſt longam temporis moram ob Hermanni artes interjectam arbitrum causæ obtinuit Henricum præſulem Argentoratenſem. Is cunctis maturè penſitatis ſententiam pro eodem tulit. Hermannus, appellatione quamvis interpoſita, ſecunda vice causâ cecidit, ideoque Henricus pacificam diœceſis ſuæ poſſeſſionem nactus Francobergenſibus A. MCCLIV ſequentes elargitur literas:

Henricus DEI gracia Hildenſem. epiſcopus univerſis Chriſti fidelibus per ſuam dioceſim conſtitutis eternam in domino ſalutem. Cum domus S. Mar. Magdalene in Vrankenberge apud Goslariam, ſutpote novella plantacio, fidelium elemoſinis indigeat adjuvari, & inter alia caritatis opera elemoſina primatum optineat, quę peccatum

(a) *Henr. Mut. Chron. German. l. 21. Hiſtor. Landgr. Thur. ap. Piſtor. c. 56.*
(b) *Vid. Bruſch. de Archiep. & ep. Germ. c. 11. §. 30. Bünting. de Epiſcop. Hildes. in h. epo. Hiſtor. epiſc. Hildes. MS. in eodem.*

catum exſtinguens felicitatis eterne premia ſuo retribuit largitori; univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur attente, in remiſſionem veſtrorum vobis peccaminum injungentes, quatenus de bonis vobis à Deo conceſſis illuc pias elemoſinas & grata caritatis ſubſidia erogetis, ut per ſubventionem veſtram ſorores ibidem domino famulantes valeant ſuſtentari, & vos pro modico, quod inſpirante domino ipſis contuleritis, centuplum in preſenti & vitam eternam recipere valeatis in futuro. Nos autem, ut quaſi per premia vos ad eterna gaudia incitemus, de omnipotentis Dei confiſi miſericordia, & Apoſtolorum ejus Petri & Pauli auctoritate, & B. Marie perpetue Virginis meritis confiſi, omnibus vere penitentibus & confeſſis, qui predictis ſororibus manum porrexerint ſubvenientem, vel voluntatem habuerint porrigendi, ſi ſuppeterent facultates, XL dies de injuncta ſibi penitencia miſericorditer relaxamus. Dat. Hildenſem. anno Domini MCCLIV Kal. Maji.

Circa hæc ferè tempora legati apoſtolici per Germaniam munere fungebatur frater Hugo de S. Caro tituli S. Sabinæ presbyter Cardinalis. Is ad Hildeſienſes accedens à conventu noſtro rogatur, ut, cùm ſorores ob paupertatem eleemoſynis plurimùm indigerent, indulgentias iisdem elargiri dignaretur. Fecit id II. Non. Mart. Anno MCCLI quadraginta dies cœnobio Francobergenſi benefacientibus remittens.

Hicce legatus natione Gallus in quatuor temporibus adventus A. MCCXLIV ab Innocentio IV (a) Papa è Priore provinciali Franciæ

D Cardi-

(a) *Vid. Panvin. de Pontif. Rom. in Innoc. IV.*

Cardinalis denominatus eſt. Legatione Germanica functus obiit annô MCCLXIV. XIV Cal. April. ſepultus in templo Prædicatorum Lugduni in Gallia.

A. MCCLVI, VII Id. Jul. Margaretha Abbatiſſa Gandeſiana cœnobio Francobergenſi dono dat duos manſos Jerſtetti ſitos, & ad fanum B. Johannis Baptiſtæ Dalheimii ſpectantes, idque cum conſenſu capituli ſui & Lutberti Rectoris Dalheimenſis. Teſtes : Burchardus & Henricus Comites Woldenbergenſes, Lippoldus de Luttere, Theodericus de Elvede, Engelhardus de Hanekiſſen, Henricus de Waninge, & Lutbertus Rector præfatus

Hoſce II manſos Henricus Junior Comes Woldenbergenſis VIII Id. Octobr. Woldenbergæ Petro Præpoſito & conventui noſtro vendidit, Eccleſiæ Dalheimenſi, ne quid damni pateretur, XL agrorum jugera & aream Bornheimii ſita conferens. Præſentes fuere : Margaretha Abbatiſſa Gandeſiana, Burchardus Comes Woldenbergenſis venditoris frater, Waltherus de Ganderſem, Gerhardus & Henricus fratres de Banderſem, Henricus Camerarius Gandeſianus, Ludolphus de Vluenchuſen, Lippoldus de Lutter, Henricus de Wagenige, Thidericus ab Holle, Thidericus de Levede, Henricus de Berkenfeld, Arnoldus ab Herre, Engelhardus ab Hanekiſſen, Ludovicus de Lindede, & Lutbertus Rector Dalheimenſis.

Margaretha Abbatiſſa, quæ hîc loci occurrit, parentem habuit Ottonem, fratres verò Popponem, Gotſchalcum, & Ludovicum Dynaſtas Pleſſenſes, & electa eſt Anno MCCLIV, uti Tabulæ recitatæ probant, haud verò Anno MCCLI, quæ (a) *Michaelis Rupenii* eſt ſententia. Gerhardus Archipræſul Colonienſis è Waldgraviis Eppenſteiniis prognatus eandem confirmavit. Præfuit annis L & obiit Anno MCCCIV.

Lis circa hoc tempus inter conventum & Guncelinum clericum, magiſtrum xenodochii D. Johannis Brunovici, vertebatur. Is enim à Petro præpoſito jus parochiale quarundam ædium extra muros Goslarienſes

(a) *In Catal. Abbat. Gand. MS. in Margar.*

rienſes juxta Montem Francorum ſitarum exigebat. Cauſam hôc argumentô probare nitebatur, quòd eædem ad borealem urbis partem ſitæ eſſent, adeoque vigore privilegii, ab Adelogo præſule Hildeſienſi quondam conceſſi, ad templum potiùs S. Sepulchri quàm Francobergenſe ſpectarent. Petrus longinquam & imperturbatam poſſeſſionem allegabat.

Poſt multas altercationes cauſa probis viris cognoſcenda dabatur: coram his, cùm Petrus & Bruno præpoſitus ſororum B. Mar. Magdalenæ Hildeſiæ juratò affirmarent, ſe à gravibus ætate viris edoctos eſſe, quòd ædes litigioſæ earumque incolæ potiori jure ad Francobergenſem quàm ad S. Sepulchri Eccleſiam ſpectarent, causâ cecidit Guncelinus. Actum in templo D. Matthiæ Goslariæ Non. Mart. Teſtes adfuere: Johannes præpoſitus, Rudolphus Decanus, A. Scholaſticus, Mag. F., B. Canonicus, H. Plebanus D. Stephani, H. de Alvelde, Ludegerus & Petrus Sacerdotes, C. de Oſtervvyk, H. Bremenſis Diaconus, B. & H. Abdiaconi, B. & A. fratres de Govviſche, Baſilius de Wenthuſen, H. Bezelini, S. Leonhardi, Edeleres ab Homanneshuſen, milites, Robertus de Goſa, aliique quamplures.

Anno MCCLVIII Johannes præpoſitus, Gertrudis Abbatiſſa, & conventus Novioperis Goslariæ vendunt Francobergenſibus aream & IV manſos Langeniciæ ſitos XXVI argenti examinati marcis, decimâ tamen exceptâ. Teſtes: Rudgerus olim forenſis templi plebanus, Henricus plebanus Langenicenſis, Petrus Sacerdos, Henricus & Henricus Diaconi, Bertholdus Subdiaconus, Bertholdus & Arnoldus fratres de Govviſche, Burchardus de Lengede milites, Henricus de Borneten, & Conradus de Rutenberg, cives Goslarienſes.

Idem conventus hôc eôdem annô noſtris prædium hæreditarium, ejus decimam dictam Ocht-tins / & IV manſos Langeniciæ ſitos XXVI argenti examinati marcis vendit, mediô cujusdam areæ ad aliud quoddam prædium in eodem pago ſpectantis additô. Teſtes iidem qui ſuprà. Nota: Ocht-tins *nil eſſe aliud, quàm decimam ab animalibus terreſtribus & volatilibus dari ſolitam.*

Anno MCCLIX Cal. Jun. Ludoldus Abbas cœnobii B. Godehardi

 Hilde-

Hildeſiæ noſtris confert decimam trium manſorum juxta Novenium majus, & VII jugera ac aream Maldemii ſita, à Leopoldo Andreæ filio milite, & Conrado de Schoringe reſignata.

Henricus Curlandiæ Epiſcopus, hôc annô Goslariam veniens, cœnobium Francobergenſe ingreditur, idemque die B. Marcelli Papæ quadraginta dierum indulgentiis dotat.

Anno MCCLXI Theodericus præſul Vironenſis Goslariam inviſit, & conventui ſequentes indulgentiarum literas concedit:

THEODERICUS DEI gracia epiſcopus Vironenſis Chriſti fidelibus univerſis preſentes literas inſpecturis ſalutem in Dominorum Domino DEI filio JESU CHRISTO. Vite perhennis gloria, qua mira benignitas conditoris omnium beatam coronat aciem civium ſupernorum à redemtis pretio ſanguinis fuſi de pretioſo corpore redemptoris, meritorum debet acquiri virtute, inter que illud eſſe pregrande dinoſcitur, quod ubique ſed precipue in S.S. eccleſiis majeſtas altiſſimi collaudetur. Hinc eſt, quod cum nos locum dilectorum nobis in Chriſto prepoſiti & prioriſſe, totiusque S. Collegii ſororum S. Marie Magdalene in Frankenberg Goslar. Hildenſem. dioceſis duxerimus perſonaliter viſitandum, inſpecta ejusdem loci neceſſitate, earumque favorabilibus precibus inclinati, omnibus vere penitentibus & confitentibus, qui locum ipſum in B. & glorioſe ſemper virginis DEI genitricis Marie, B. B. Petri & Pauli Apoſtolorum, ſanctique Auguſtini Confeſſoris atque pontificis, ac B. Marie Magdalene, nec non in ejusdem eccleſie dedicacionis annue feſtivitatibus, ſeptemque diebus immediate ſequentibus, cum cordis contricione & humili-

tate

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0032-3

tate annuatim venerabiliter viſitarunt, quique eisdem ad ipſorum propter Chriſtum pauperem, videlicet extreme paupertatis ſarcinam portantibus, inopiam ſublevandam manum porrexerint quocunque tempore adjutricem, de omnipotentis DEI miſericordia, & prenominatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ac ea, quam nobis licet indignis DEUS contulit, auctoritate confiſi, XL dierum uniusque Carene indulgenciam, accedente conſenſu venerabilis Domini Hildenſem. epiſcopi, in nomine Domini concedimus miſericorditer & largimur, peccata & oblita vera fracta, ſi ad ea redierint, offenſas patrum & matrum ſine injectione manuum violenta, juramenta temeraria, que fiunt absque tactu reliquiarum aut Evangeliorum, & violaciones dierum celebrium, ſimiliter relaxamus. Datum ibidem in die B. Georgii martyris anno Domini MCC LXI, pontificatus vero noſtri anno XIV^to^.

Henricus Præſul Hildeſienſis Anno MCCLVII diem ſupremum obierat, ſucceſſorem habens Johannem præpoſitum montis B. Mauritii extra mœnia Hildeſienſia, virum apprimè doctum, cultus divini amantiſſimum, & inſigni comitate præditum. Hinc mihi nullum eſt dubium, quin conventus noſter favorem ejus probè ſit expertus. Auxit diœceſim ſuam variis bonis à comitibus Woldenbergiis, nobilibus ab Eſcherde, aliisque coëmtis. Alberto magno Duci Brunov. & Luneburgenſi, qui Ludolpho ultimo Comiti Peynenſi bellum inferebat, ſocia junxit arma, obſidionem arcis cognominis cum eodem ſeriò urgens. Cauſæ hujus belli me latent, aſſerit tamen (a) *Albertus Krantzius*, easdem fuiſſe legitimas. Extrema obſeſſis imminebant, cùm Ludolphus clam præſulem permoveret, ut Albertum

(a) *Saxon. lib. 8. c. 28. Chron. Saxon. p. 336. Fabric. mem. Saxon. ad h. a.*

tum ad ſolvendam obſidionem blandis verbis adigeret. Fecit id ſingulari induſtria : ſed Albertus fraude detecta gravem meditabatur vindictam. Hanc prævenit mors Johannis, quæ contigit An. M CCLXI XVII Cal. Octobr. eique ſucceſſit Otto Alberti magni frater.

Anno M CC LXII Hojerus Comes Woldenbergenſis proprietatem ſequimanſi juxta Novenium majus ſiti, quem Johannes de Novven ab eodem in feudo habuerat, Eccleſiæ S. Petri Francobergenſi confert. Teſtes : Conradus de Malhem, Hervvicus Sacerdos dictus de Aſtveld, Conradus de Piſcina, Johannes de Sutburc, Conradus de Vimelhuſen, Rudericus de Lochtene, Arnoldus Gnoſe, Bertholdus de Calbechte, Olricus de Bilſten, Conradus de Cellariopiperis, aliique quamplures.

Inſignia Comitis Hojeri de Hartesburc:



Anno M CC LXIII Rudolphus & Johannes de Dalheim fratres, Rudolphi filii, venditionem bonorum Scheningenſium à parente factam revocare conabantur, defectum annorum prætexentes. Petrus verò præpoſitus transactione cum iisdem inita turbas haſce confeſtim aſſopivit. Teſtes : Ulricus ab Altafago, Conradus Plebanus Winceburgenſis, dictus de Rothinge, Hermannus de Ganderſem miles, Hermannus ejus filius, Aſchvvinus & Conradus fratres de Steinberg, Thidericus de Stockem, Burchardus de Cramme, Ludolphi militis frater, aliique.

Anno M CC LXIV Ulricus ab Altafago juri ſuo in medio decimæ

Novenii

Novenii minoris renunciat, conſenſum dans tranſactioni à Conrado II præſule Hildeſienſi quondam factæ. Teſtes : Hojerus ab Altafago Canonicus Hildeſienſis, Conradus Capellanus Winceburgenſis, Conradus Sacerdos, Henricus Diaconus Bremenſis, Hermannus de Ganderſem miles, Johannes Rudolphi filius de Dalheim, Arnoldus & Anno pater & filius de Govviſche.

Anno ſequente conventus alebat lites cum Conrado Marſchalco ejusque fratribus. Ne verò eædem ingraveſcerent, cauſa Ottoni præſuli Hildeſienſi cognoſcenda tradebatur. Is talem ſententiam Hildeſiæ tulit : *Petrus præpoſitus Marſchalcis XI talenta exſolvito, hi verò liti ſuſceptæ renuncianto.* Pro hac ſolutione fidejuſſere : Vulhardus præpoſitus Montis D. Mauritii, & Ludolphus de Borſſem, & pro Marſchalcis Ludolphus & Erneſtus Junior Pincernæ. Teſtes : Ludolphus præpoſitus major, Volquinus præpoſitus, Canonici Hildeſienſes, Henricus Pincerna, Ecbertus Camerarius, Albertus Bok, Aſchvvinus & Conradus fratres de Steinberg, & Bertholdus Pyl miles.

Circa hoc tempus Otto præſul Hildeſienſis Urbani IV Papæ confirmationem obtinuit, negotiô hôc ob teneros annos procul dubiô dilatô. Poſt hæc Gregorius X Papa Anno MCCLXXIII ingentem ſynodum Lugduni in Gallia celebrabat, quò Otto benedictione ſacerdotali accepta etiam ſeſe contulit. (a) Lugdunum veniens à Wernero Archipræſule Moguntino inſigni & ſplendidâ pompâ eſt inauguratus. Domum rediens ſummô ſtudiô & prudentiâ ſuos rexit, varia bona à prædeceſſoribus ſuis oppignorata redimens, novaque $\overset{M.}{\text{IV}}$ marcarum pretiô acquirens.

Anno MCCLXVII, II Cal. Januar. Hermannus Comes Woldenbergenſis, annuentibus filiis Ludolpho, Conrado, Hojero, & Johanne collationem ſequimanſi ab Hojero comite VVoldenbergenſi Francobergenſibus factam ratam habet. Teſtes : Bernhardus ab Hagen, Hojerus ejus filius, Arnoldus Knoſe, VVernerus de Dolgen, Thidericus

(a) *Bruſch. de Archiepiſc. & Epiſc. Germ. c. 11. §. 32. Vit. Epiſc. Hildes. MS. in Ottone.*

ricus de Mandere, Bertholdus de Kalbechte, Gerhardus de Guſtede milites, Burchardus & Ecbertus de Wolfenbüttel; Ulricus, Bertholdus, & Hermannus de Levenſted, aliique.

Non poſſum quin hicce loci de prænobili & pervetuſta comitum Woldenbergenſium familia paulò exactiùs agam. Horum comitatus in Epiſcopatu Hildeſienſi ſitus eſt, à ſeptentrione Stürvvaldicâ & Steinbrugenſi præfecturis, ac comitatu Peynenſi, ab oriente Levenburgicâ & Lutteranâ, à meridie Weſterhofenſi præfecturis, ab occidente verò comitatu Winceburgenſi & præfectura Mariæburgenſi, incluſus. Innerſta fluvius, in montibus Hercyniis juxta Clauſthaliam ſcatens, ab ortu ad occaſum medium ferè peragrat. Comitatus hicce oppidum Bokenheimenſe, vicum Werderenſem, arces Woldenbergenſem & Woldenſteinenſem, ac demum pagos Lekſtede, Heine, Liſtringen, Nette, Dalem, pluresque alios continet.

Nomen traxit ab arce Woldenbergia, cujus etymologia eſt facillima. *Wold* enim noſtris ſylvam, Berg verò montem denotant, ut adeò *Woldenberg* nil aliud referat, quàm *Montem ſylvæ immerſum.* Stirps horum comitum tripartitim diſtinguitur in *Woldenbergenſem*, *Werderenſem*, & *Woldenſteinium* ramos, quibus inſignis (a) *Heinr. Meibomius* Woldenbroccenſem, & Vimmelſenſem addit. Prout enim varias habuere ſedes, varia quoque nacti ſunt nomina. E vetuſtiſſimis hujus familiæ eſt (b) *Hoppenrodio* Sigismundus, quem ludis equeſtribus Anno DCCCCXCVI Brunovici celebratis interfuiſſe perhibet, quo fundamento, alii judicent. Veriùs de Bennone loqui poſſumus, qui è præpoſito Goslarienſi Meynardo præſuli Miſnenſi Anno MLXVI ab Henrico IV ſucceſſor datus eſt. Hic in tempora calamitoſa incidit Saxonibus præfato Imperatori grave bellum inferentibus. A munere igitur ſuo remotus (c) Clementi III Papæ tandem fit ſupplex, & Anno MLXXXVIII priſtinæ dignitati reſtituitur. Obiit

---

(a) *Chron. Riddegsh. in Joh. II. abb.* (b) Stambuch *p. 104.* (c) *Vid. Lamb. Schaffnab. annal. ad an. 1066. Apolog. pro Imper. Henr. IV. ap. Freher. & Fabric. annal. Miſn. ad a. præfatos.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0038-6

ad pag. 33.

SCHEMA
Stemmatis illuſtrium Comitum Woldenber-gensium:

N. Comes de VVOLDENBERG.

Burchardus I 1256. — Henricus I 1218. 1239. 1256.

Burchardus II 1274. — Hermannus I 1274. — Waltherus I 1274. — Henricus Præſul Hildes. obiit 1319. — Mathildis Abbatiſſa Gandes. el. 1305. obiit 1318.

Hermannus II 1241. 1267. 1279. uxor Hedvvigis. — Henricus Jun. ſeu III 1241. 1256. 1267. — Otto.

Ludolphus II 1273. — Otto Præſul Hildes. ob. 1335. — Conradus I 1305. 1321. — Hojerus I vocatur Com. Harceburgi 1266. 1267. — Johannes I ſeu Senior 1305. 1331.

Henricus IV. — Burchardus III. — Ludolphus Canon. & Cantor Hildes. — Beata. — Sophia. — Geſa. Sacerdotes Gandeſ. ſub Margar. Abbatiſſa.

Ludolphus III 1305. 1317. 1327. 1331.

Hermannus II 1305. — Willebrandus I 1305. — Johannes Junior ſeu II 1305. 1327. — Hojerus II 1301. 1327. — Jutta 1305. 1327.

Conradus II 1305. — Johannes III 1331. — Ludolphus 1333. — Henricus V 1331. — Conradus Canon. Hildes. nomine III 1331. — Burchardus IV. — Yda 1305. — Hedvvigis.

Conradus IV 1326. — Johannes IV 1326. — Ludolphus V 1326. — Henricus VI 1326.

Hermannus III. — Wilbrandus II. — Johannes V. — Hojerus III.

Hermannus IV Canonicus Halberſt. 1326. — Johannes VI 1326. 1331. — Hojerus IV Canon. Hildes. 1331. — Burchardus V 1326. 1346. — Henricus VII 1326. 1331. — Gerhardus 1326. 1357. propter adulterium occiſus. — Wilbrandus III 1331. — Hedvvigis monial. Quedlinburg. 1326. — Jutta monial. Gandes. 1326. — Mathildis ux. Hermanni de Steinberg. 1326.

Otto ſtirpis ultimus 1344.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0039-5

ad pag. 33.

Burc
1

Burchardus II
1274.

Herma
127

Ludolphus II
1273.

Otto Præſul
Hildes. ob.
1335.

Ludolphus III
1305. 1317. 1327.
1331.

Conradus II
1305.

Conradus
IV 1326.

Johan-
nes IV
1326.

Ludol-
phus V
1326.

Hermannus IV Canonic
Halberſt. 1326.

Obiit XVI Cal. Jul. Anno MCVII, ætatis nonageſimo ſexto, ſedis XLVII, & ab Hadriano VI Papa Anno MDXXIV quadringentis & ſeptendecim poſt obitum annis in numerum Sanctorum relatus eſt, oſſibus ejus XVII Cal. Jun. in tumbam marmoream ophitinam ſolenni ritu translatis. Huic ſolennitati interfuere Johannes Miſnenſis & Adolphus Merſpurgenſis præſules, Georgius & Henricus Duces Saxoniæ Georgii filii, Johannes & Fridericus Henrici filii, multique alii primæ notæ viri.

Præter hunc Bennonem citantur à (a) *Joh. Letznero* Sophia Wigboldi filia, Wittekindi II Comitis Daſſilienſis uxor, quæ matrem habuit N. filiam Waltheri Comitis Sonnenbergenſis, & Mathildis Henrici Senioris filia, Bernhardi III Comitis Daſſilienſis uxor. Schema Genealogicum horum Comitum è tabulis collectum ſubjungo, exhibitis inſimul variis eorum inſignibus:

(a) *Chron. Daſſil. l. 1. c. 7. & 13.*



WERNERUS Præpoſitus Montis-Francorum tertius hoc tempore cœpiſſe videtur. Is à Johanne de Nowen IV manſos, quos ab Hojero & Hermanno Comitibus Woldenbergiis in feudo tenebat, coëmit. Johannes præfatus eosdem Lutteræ poſtrid. Epiphan. Dom. Ottoni præſuli Hildeſienſi reſignat. Teſtes: Heydenricus Cellarius, Halto præpoſitus Hildeſienſis, Thidericus de Toſſem, Johannes de Adeneyr, Johannes de Suchteren, Albertus Bok, Eylhardus de Doteſſem, & Erneſtus Pincerna.

Prid. Apoſtolor. Phil. & Jacobi ejusdem anni Rupertus præpoſitus, Heldenburgis Prioriſſa & conventus cœnobii Brunſteshuſani, qui grave æs alienum contraxerant, quò ab eodem ſeſe liberarent Wernero præpoſito II manſos juxta Novenium majus ſitos XXI argenti examinati marcis vendunt. Teſtes: Theodericus de Calchem, Volquinus, Henricus, Vinco, Clerici, Henricus Camerarius Gandeſianus, Woltherus de Ganderſem, Albero de Wernigerode, Bruningus Advocatus Gandeſianus, milites, Hermannus de Hardenberg, Henricus de Lengeden, Mangoldus de Bruchem, & Siffridus de Sehuſen.

Præfatum cœnobium eſt è vetuſtiſſimis Saxoniæ, & originem debet Ludolpho Saxoniæ Duci Brunonis filio, qui idem D. Stephano Protomartyri ſacrum fecit. Romam Anno DCCCLIII profectus confirmationem papalem impetravit, & corpora B. B. Innocentii & Anaſtaſii nactus domum ſoſpes rediit. Anguſtiores tamen erant cœnobii limites, ideoque idem ad Gandam fluvium, ubi nunc temporis Gandeſiæ ſitum obtinet, Anno DCCCLVI transferebatur. Hinc primæ ædes ad tempora usque Brunonis filii Ludolphi mancæ permanſere. Is verò earundem perfectionem (a) Anno DCCCLXIV. exorſus eſt, & cuncta anno DCCCLXXVIII ad umbilicum duxit, templum ſpecie auguſtum B. Bonifacio dedicans. Monachi ritus pontificios ad Julii Ducis Brunov. & Luneb. usque tempora coluere, iisque demum Evangelicam doctrinam ſunt amplexi. Cœnobium, templo & porticibus

(a) *Meibom. ſcript. Germ. T.3. in Synt. Gandes. Topogr. Brun. & Lun. Merian. in hoc mon. Letzner. Chron. mon. MS. p. m. 478.*

ticibus exceptis, Anno MDCXXVII ab impiis quibusdam ſcurris incenſum igne penitus periit, ſucceſſu tamen temporis aliqualiter inſtaurari cœpit.

Advocatia præfatorum bonorum ad Duces Brunovicenſes & Luneburgenſes, Albertum ac Johannem, ſpectabat. Hi, precibus Comitum Woldenbergenſium moti, eandem conventui conferunt, acceptis ejusdem loco II manſis in Stebeke à Margaretha Abbatiſſa Gandeſiana, quos Henricus Woldenbergius futuris temporibus ab iisdem in feudo habere tenebatur. Actum Gandeſiæ prid. Apoſtolor. Phil. & Jacobi Anno MCCLXXII. Teſtes: Thidericus de Calchem, Volquinus de Pader, Henricus, Vinco, Clerici, & reliqui ſuprà citati.

Die B. Petri Wernerus præpoſitus Juttæ de Pedele vendit IV marcas argenti examinati proventus annui XL marcis, quibus IV manſos à Johanne de Novven Friderici dicti Griſen filio comparaverat, quotannis in feſtis Michaëlis & nativitatis Chriſti ad dies vitæ perſolvendas, hac tamen lege, ut, Juttâ mortuâ, tres marcæ cœnobio liberè vacarent, quarta verò in ſuo & mariti anniverſario die ſororibus erogaretur.

Anno MCC LXVIII indulgentiarum penus novis augebatur, quas Fridericus præſul Kapolienſis Goslariæ conſtitutus ſororibus conceſſit. Literæ ſunt ſequentes:

FREDERICUS DEI gracia Kapolienſis epiſcopus, Tharbatenſis poſtulatus, Crucis Chriſti miniſter, univerſis in Chriſto credentibus preſentem paginam viſuris in domino ſalutem. Licet is, de cujus munere venit, ut ſibi à ſuis fidelibus digne ac laudabiliter ſerviatur, de habundancia pietatis ſueq; & merita ſupplicum excedit, & vota multò majora retribuat ſibi ſervientibus quam valeant promereri; deſiderantes tamen domino populum reddere acceptabilem ad complacendum ei, quibusdam illectivis muneribus, indulgenciis videlicet & remiſſionibus, invitamus,

mus, ut exinde divine gracie reddantur aptiores. Cum igitur occaſio ad veſtram ſalvacionem multipliciter vobis a domino offeratur, ut videl. per largicionem elemoſinarum & expietis peccata, & premia conquiratis eterna, univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & exhortamur in domino, in remiſſionem peccatorum vobis injungentes, quatenus ad emendacionem ecclesie B.B. Apoſtolorum Petri & Pauli in Vrankenberch, & ad ſuſtentacionem S. S. monialium ibidem DEO ſervientium, de bonis vobis à Deo collatis pias elemoſinas & grata ſubſidia erogetis. Nos enim de omnipotentis DEI miſericordia confiſi, ac B. B. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, & ea, qua fungimur, auctoritate ſuffulti omnibus contritis & confeſſis, qui ad eandem eccleſiam manum porrexerint adjutricem, accedente conſenſu & licencia domini dioceſani, XL dies & unam Karrenam de injuncta ſibi penitencia miſericorditer relaxamus. Dat. in Goslar anno Dni. MCCLXVIII in die B. Marie Magdalene.

Anno MCCLXIX, XIX Cal. Sept. Guncelinus ab Oſterrode miles, aſſentientibus filiis Albertô, Burchardô, Guncelinô, Ecbertô, Hermannô, & Erneſtô, VI manſos Mechtegeshuſæ ſitos, & duas molendini partes conventui vendit. Teſtes: Johannes de Mela miles, Guncelinus prædictorum pater, aliique. Actum in caſtro Berkenſteinenſi.

Anno MCCLXXI Thidericus & Henricus fratres de Walmoden milites, cum conſenſu fratris Alexandri D. Matthiæ Goslariæ Canonici, in monte & die B. Georgii in capitulo ejusdem generali Francobergenſibus vendunt bona ſua Bodenſteinenſia, eorum jura, commoda, ad-

da, advocatiam, & decimam CCCCX marcis argenti examinati. Fidem pro Walmodiis dedere Johannes Marſchalcus, Burchardus ejus filius, Bertholdus, Albertus, Hermannus fratres de Gowiſche, Henricus & Anno filii Arnoldi de Govviſche, Ludolphus & Bernhardus fratres de Cramme, Aſchwinus de Montelapideo, Brandanus de Lindere, Bruno Cancer, Thidericus & Conradus de Piſcina. Teſtes: Fridericus Decanus, Johannes de Bilſten, Conradus de Reinſtede, Canonici D. Matthiæ Goslariæ, Conradus templi forenſis paſtor, Henricus D. Jacobi paſtor, Elerus de Homanneshuſen miles, Burchardus de Bilſten, Hermannus Senior de Aſtveld, Thidericus Bonus, Johannes Imminghof, aliique.

Commodus hîc incidit locus de bonis Bodenſteiniis paucis diſſerendi. Cœnobium B. Godehardi Hildeſiæ multo ære alieno obſtringebatur, ideoque bona præfata, quæ è XIX manſis eorumque decima conſtabant, conventui de Horto D. Mariæ Goslariæ vendebat, uti ex ſequentibus conſtat literis:

In nomine ſancte & individue Trinitatis.

HARTBERTUS DEI gracia Hildenſem. Eccleſie epiſcopus ad cautelam futuri temporis notum eſſe omnibus volumus, quod conventus S. Godehardi in Hildenſem pro quibusdam bonis redimendis & debitis expediendis bona ſua in Bodenſten, videl. XIX manſos cum omnibus attinenciis ſuis, paſcuis ſcilicet, pratis, nemoribus, & decima eisdem bonis attinente, conventui de Orto S. Marie Goslarie pro LXXVII marcis de noſtra permiſſione vendidit & conſenſu. Nos verò quia eundem locum in omni bono creſcere ſemper deſideramus & virtute, dicta bona tam racionabiliter conquiſita uſui ancillarum inibi

DEO famulancium cum omni integritate recognovimus, & decimam eisdem bonis attinentem pro remedio anime noſtre, ac memoria nominis noſtri habenda, perpetuo contulimus, ſperantes meritis earum & precibus nos una cum eccleſia noſtra apud DEUM quamplurimum adjuvari. Ut autem ab hujusmodi contractu inter prememoratas eccleſias in noſtra preſencia racionabiliter celebrato oblivionis nocive periculum excludamus, preſentem paginam inde conſcriptam ſigilli noſtri placuit impreſſione communiri. Act. anno domini M CC XIV Id. Sept. Teſtes hujus rei ſunt: Hartmannus Prior, Helmungus, Theodolphus, Hermannus, Henricus, Wernhardus, Sigebodo, Ludegerus, Henricus, Ludolphus, Johannes, Gerbertus, Bertholdus, Ludolphus, Wicmannus, Eckehardus, Sac. epiſcopi. Laici: Fredericus comes de Poppenborch, Gerhardus de Remſtede, Hermannus de Berberge, Erneſtus de Netheloge, Wulfhardus de Pethele, Lodewicus Monetarius, Gerbrandus Mercator, aliique quamplures.

A conventu præfato bona hæc ad nobiles Walmodios pervenere, ac demum, ut dictum, Francobergenſibus haud modicô argentô ſunt vendita. Ex hoc patet, (a) *Topographiam Brunov. & Lun.* rem acu haud tetigiſſe aſſerendô, nobiles dictos pagum Bodenſteinium conventui Francobergenſi fervore religionis ductos, & ut ſepulturam in cœnobio nanciſcerentur, dono dediſſe. Prædium hoc ante ſeculum circiter incendiô conflagravit, & circa feſtum B. Martini An. MDCXXV ab exercitu Wallenſteinii eſt direptum, quod fatum in bello funeſto tricennali haud ſemel ipſi contigit. Incolæ tandem, pace Weſtphalicâ

(a) *Merian. p. 82.*

licâ concluſâ, inſtaurationem ædificiorum Anno MDCL moliri cœpere. His ſubjungo particulam ſtirpis Walmodenſis:

N. de WALMODEN.

Dietericus 1271. | Henricus miles 1271. 1280. | Alexander Canon. D. Matthiæ Goslar. 1271.

Aſchwinus 1271. | Henricus 1271.

Aſchwinus 1305. | Dietericus Pavvenberg 1305. | dictus miles 1331. | Dietericus 1331. | Henricus.

Aſchvvinus 1331. | Henricus 1331.

Anno MCCLXXV die Gervaſii & Protaſii martyrum Johannes Lettovienſis, Epiſcopus ordinis Teutonici, eleemoſynas Francobergenſibus erogantibus, & in feſtis Patronorum & Sanctorum cœnobii, nec non dedicationis, & majoribus JESU Chriſti ac D. Mariæ virginis diebus, ad idem accedentibus C dierum indulgentias elargitur.

Circa hoc tempus in vicinis terris graves turbæ oboriebantur. Conradô enim Archipræſule Magdeburgenſi Anno MCCLXXVII emortuô Canonici diſſidentes pars Ericum Brandeburgium, pars Buſſonem Querfurtenſem elegere. Erico fratres Johannes & Otto Marchiones Brandeburgenſes, nec non Albertus magnus Dux Brunov. & Luneburg. Buſſoni verò inter alios Otto præſul Hildeſienſis ſuppetias ferebant. Nec ceſſavit malum ambobus ſponte ſeſe à munere ſuo abdicantibus & Guntherô Svalenbergiô ipſis ſuffectô. (a) Hic igitur tantas turbas pertæſus Bernhardo Wölpenſi ceſſit, qui bellum cœptum ſtrenuè eſt proſecutus. Nec ſaltem Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, ſed

(a) *Chron. Saxon. p. m. 343. & ſeqq. Chron. Magdeb. ap. Meib. Script. rer. German. T. 2. p. 331.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0048-1

ſed etiam agri Hildeſienſis & Brunovicenſis, mirum in modum vaſtabantur, milite ubique impunè graſſante. Ex hiſce malis Otto præſul tantum animi dolorem cepit, ut die Beati Ulrici Epiſcopi Anno MCCLXXIX vivere deſierit, ſepultus in templo cathedrali Hildeſiæ.

Annô MCCLXXIX Everhardus & Aſchvvinus fratres de Lutter ad preces HENRICI Præpoſiti Francobergenſis IV conventus, proborumque virorum, juri ſuo in curia Bodenſteinia reſignant, acceptis III argenti examinati marcis. Teſtes: Hermannus Comes Woldenbergius, Engelbertus ab Hagen & Ermbertus de Bokenem.

Hicce Ermbertus cum conſenſu hæredum ſuorum, Bernhardi & Ludolphi è fratre nepotum, decimam Mechtegeshuſanam Henrico præpoſito vendit, eandem Engelberto ab Hagen feudi domino reſignans. Idem, aſſentientibus filiis Thidericô, Geringô & Henricô, eandem decimam Epiſcopo Hildeſienſi Ottoni reſignat, qui eam prid. nativ. Joh. Bapt. Francobergenſibus confert. Teſtes: Johannes major præpoſitus, Leopoldus Decanus, Volradus Montis beati Mauritii præpoſitus, Cono, Canonici Hildeſienſes, Ecbertus Camerarius, Conradus Marſchalcus, Erneſtus Pincerna, Ludolphus de Cramme, Johannes Bok Advocatus VVoldenbergenſis, Henricus Raſehorn, Ulricus de Herre, & Henricus de VValmede.

Anno MCCLXXX die Urbani Engelbertus ab Hagen miles conventui dono dat dimidium manſum Kerknovenii ſitum. Cauſa erat, quòd ſorores pœnitentes filias ejus in conventum receperant.

Annô eôdem Anno de Govviſche miles, animabus parentum remedium allaturus, cœnobio confert piſcinam ſitam in radice montis lapidei, hac lege, ut ſorores anniverſarium eorum diem prid. B. Mar. Magdalen. vigiliis & miſſis funebribus, nec non orationibus, aliisque piis exercitiis pro defunctis fieri ſolitis, celebrarent. Addit inſuper libertatem aggerem III pedum altitudine augendi, & piſcinam eousque extendendi, quantùm terræ ab aqua montem verſus ſubmerſum fuerit. Teſtes: Henricus præpoſitus Francobergenſis, Henricus Gladiator, Theodericus de Bledenem, Johannes de Lengede, Sacerdotes, Bertholdus de Govviſche, Siffridus de Weſterhuſen, & Henricus de Walmede milites.

En partem ſtirpis & inſignia Govviſchiorum.

N. de GOWISCHE.

Bertholdus 1234.	Arnoldus 1234. 1258.	Volcmarus 1234.

Bertholdus 1271.	Albertus 1271.	Hermannus 1271.	Henricus 1271.	Anno 1280.



Anno MCCLXXXI in octava Epiphan. Margaretha Abbatiſſa Gandeſiana, Mechtildis præpoſita, Luccardis decana, & conventus Gandeſianus, Henrico præpoſito & conventui Francobergenſi conferunt propter DEUM duos manſos & duas areas Kerknovenii ſitos & vacantes. Sorores igitur pœnitentes in grati animi ſignum collegium Gandeſianum in fraternitatem ſuam recipiunt, idemque particeps faciunt bonorum operum ſuorum, pro promiſſis additis, quòd annuum emortualem diem Abbatiſſæ ſolito ritu ſint celebraturæ. Teſtes: Metza & Gretha ſorores de Bilſten, Mechtildis de Everſten, moniales Gandeſianæ, Thidericus Plebanus D. Georgii, Henricus de Paderborn, Henricus de Dune, Johannes Abbatiſſæ notarius, & Bruningus advocatus.

Anno MCCLXXXVII Cal. Febr. pontificatus Honorii IV, Papæ annô ſecundô Maurus Amelienſis, Gerhardus Anagninus, Romanus Crohen-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0050-3

Crohenſis, Leotherius Verulanus, Perronus Larinenſis, Leo Chalamonenſis, Bartholomæus Groſſetanus, Thomas Acerrarum, Ægidius Turtyburenſis & Waldebrunus Avellonenſis ac Glavinienſis Epiſcopi, templum Francobergenſe in feſtis B. Mariæ virginis, B. Petri Apoſtoli, anniverſario dedicationis ejusdem, Michaëlis Archangeli, B. Mariæ Magdalenæ diebus, intraque horum octavas, inviſentibus, eidemque eleemoſynas elargientibus, XL dierum indulgentias Romæ concedunt.

Quinam ſint præfati epiſcopatus, è (a) *Paulo Merula* paucis explicabo. Amelia, olim Ameria, urbs eſt Umbriæ Tyberim & Narim fluvios inter ſita, Ciceroni, Straboni, Ptolomæo & Plinio optimè nota, quam DCCCCLXIV ante Perſei bellum annis conditam volunt. Agrum vini, frumenti, & olei fertiliſſimum habet, & epiſcopatui ſedem dat, qui Pontifici Romano immediatè ſubeſt.

Anagnia in Hernicis ſita dives, forſan ob fœcundum agrum, olim cognominabatur. Ex hac varii prodiere pontifices Romani, (b) eosque inter Innocentius III, Gregorius IX, Alexander IV, & Bonifacius VIII. Hodiè ferè deſolata jacet, aſt Epiſcopus ſoli Papæ paret.

De Crohenſi, Verulano, & Larinenſi epiſcopatibus nil mihi conſtare fateor: Groſſetum verò eſt oppidum Tuſciæ ad Umbronem ſitum ditionis Senenſis, cujus Epiſcopus ſolius Papæ imperium veneratur.

Acerræ, retentô nomine antiquô, oppidum eſt Campaniæ in regno (c) Neapolitano ad Clanium amnem haud longè à Neapoli ſitum, cujus Epiſcopus ſub Archiepiſcopo Neapolitano eſt.

Terribulenſis præſul Turribiæ in terra Laboratoris ſedem habet, & pars eſt Archiepiſcopatus Beneventani, uti & Avellinus iisdem in oris ſitus & Avellii commorans.

Hôc eôdem annô Giſelbertus Archiepiſcopus Bremenſis Goslariam venit, & conventui Francobergenſi ſequentes conceſſit literas:

(a) *Coſmogr. part. 2. l. 4. cap. 24.* (b) *id. p. 1061.* (c) *id. p. 1148.*

GHISELBERTUS DEI gracia Bremenſis eccleſiæ Archiepiſcopus omnibus Chriſti fidelibus preſens ſcriptum viſuris ſalutem in domino ſempiternam. Cum elemoſinarum largicio & indulgentiarum largitarum non ſolum peccatorum lavent maculas, ſed etiam totius doloris radices exſtirpent; omnes Chriſti fideles ad zelum devocionis & ad opera Karitatis inducere cupientes omnibus vere penitentibus & confeſſis, qui monaſterium ſanctimonialium in Frankenberch ſua reſpexerint elemoſina, de bonis à Deo ſibi conceſſis, ſecundum quod DEUS ipſis inſpiraverit, aliquid ad ſuſtentacionem illarum dominarum, que ibi in paupertate diu noctuque deſerviunt, largiendo, XL dies de omnipotentis DEI & B. B. Apoſtolorum ejus Petri & Pauli meritis & auctoritate confiſi, & unam Karenam, miſericorditer relaxamus, ut per hec & alia bona, que fecerint, poſſint ad eterne beatitudinis premia pervenire. Dat. in Goslaria anno domini MCCLXXXVII, V Kal. Mart. pontificatus noſtri annô ſeptimô.

Archiepiſcopus hicce nobili Bronchorſtiorum ſtirpi originem debet, & Anno MCCLXXX, haud verò, uti volunt, ſeptuageſimô tertiô ad Archiepiſcopalem dignitatem pervenit. (a) Hic Kedingos ſub jugum miſit, & Bremâ, ob injuriam à civibus acceptam, indignabundus exceſſit : aſt civibus, qui nudis pedibus eidem obvii erant, & iram inſignibus donis demulcere ſtudebant, facilè veniam conceſſit. Anno MCCLXXXV templum Prædicatorum Bremæ conſecravit, arcem Teding-

(a) *Vid. Henr. Meibom. Chron. Brem. Wolther. ſcript. Germ. T. 2. p. 60. Krantz. metrop. l. 8. c. 35.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0052-4

Tedinghuſanam exſtruxit, Buxtehudam inſtauravit, & Ottersbergiam arcem, turrem arcis Vordenſis, & palatium archiepiſcopale Bremæ confecit. Ultimis vitæ diebus calculo aliisque ſymptomatibus laborans nihilo ſeciùs Stedingos domavit, & tandem obiit Vordæ Anno MCCCVI terræ mandatus Bremæ.

Anno MCCLXXXIX, XVI Cal. Sept. Eberhardus & Aſchvvinus fratres de Lutter dominium dimidii manſi Kerknovenii ſiti Francobergenſibus V fertonibus argenti nigri vendunt. Teſtes: Henricus Gladiator, Theodericus de Bredenem, Berimannus montis D. Georgii, & Theodericus D. Ægidii Sacerdotes.

Hoc ipſo anno Rudolphus I Imperator Comitia Erfurti celebravit. Cauſa erat tumultus popularis hac occaſione ſuſcitatus: vacante ſede Moguntina (a) Erfurtum per triennium ferè motibus inteſtinis agitabatur, & turbatores, blandis quamvis verbis compellati, ſedari haud poterant. Cùm verò Henricus II ad Archiepiſcopatum veniret, & urbem ingrederetur, omni obſequii genere à civibus excipiebatur. Vix autem ab urbe receſſerat, cùm plebs in magiſtratum inſurgens omnia ſuſquedeque haberet, non ſaltem in urbe tumultuans, ſed etiam hinc inde per Thuringiam excurrens.

Hoc motus Gerhardus II Henrici ſucceſſor querelas de ſeditioſis ad Imperatorem defert, qui armata manu ad urbem accedens ſubmiſsè à populo recipitur. Aſt ſtrenuus ſcelerum vindex in auctores turbarum ſedulò inquirit, & legitimè convictos, quos inter octo ex ordine ſenatorio erant, hoc anno capitis ſupplicio afficit. Splendidis hiſce comitiis interfuere: Gerhardus Moguntinus, Rudolphus Salisburgenſis, & Ericus Magdeburgenſis Archipræſules, Siffridus Hildeſienſis, Albertus Halberſtadenſis, Arnoldus Bambergenſis, Volquinus Mindenſis, Conradus Laventinus (quem ſcriptores non recenſent) ac Naumburgenſis & Miſnenſis præſules, è ſecularibus verò principibus

 Wen-

(a) *Krantz. Sax. l. 8. c. 34. Joh. Maur. Gudeni. hiſt Erfurt. l. 1. §. 25. Nicol. Serrar. de reb. Mogunt. l. 5. p. 845. Frider. Schmid. Chron. Thuring. p. n. 108.*

Wenceslaus Bohemiæ Rex, Albertus Saxoniæ, Albertus, Henricus & Otto, Brunov. & Luneb. Duces, Tilo Marchio Brandeburgenſis, ac inſignis nobilium virorum turba.

Commoda hac occaſione utentes noſtri à Rudolpho Archipræſule Salisburgenſi & ſedis Romanæ Legato, nec non à Conrado præſule Laventino prid. non. Jun. Anno MCCXC octoginta primùm, mox XL dierum & unius Carenæ indulgentias impetrant.

Rudolphus hîc obvius, è familia Svevica Hoheneccia oriundus, Rudolphi I Imperatoris Cancellarius fuit, electus Anno MCCLXXXIV & confirmatus à Martino IV Papa IV id. Mart. An. MCCLXXXV Bavariam ferro igneque vaſtavit, quoniam Henricus Bavarus Muldorfium oppidum contra fidem datam expugnaverat. Comitiis Auguſtanis Annô MCCLXXXVI intereſt, pacem cum Bavaro init, & in ſynodo Salisburgenſi Anno MCCLXXXVIII celebrata ſtatuit, ne quis Eccleſiaſticus munere quodam ſeculari fungatur. Hinc bello cum Alberto Auſtriæ Duce eſt implicitus, quod anno ſequente eſt compoſitum, quamvis Albertus pacis conditiones minimè impleverit. Rudolphus haud diù poſt obiit, III nempe non. Aug. Anno MCCXC, haud verò Anno MCCLXXXIX, quæ (a) *Franc. Dukberi* & (b) *Gabriel. Bucelini* eſt ſententia: ei enim repugnat auctoritas Tabularum notatarum. (c)

Laventinus Epiſcopatus Salisburgenſi Archipræſuli paret, & Conradus hîc obvius, olim Scholaſticus Salisburgenſis, ſucceſſit Gebhardo Anno MCCLXXXV.

Hoc tempore eccleſiam Hildeſienſem regebat Siffridus II è Comitibus Querfurtenſibus prognatus, qui Ottoni Duci Brunov. & Luneburg. Anno MCCLXXIX ſucceſſerat. Is Anno MCCXC Goslariam venit, & conventui Francobergenſi ſequentes dedit literas:

SIFFRI-

(a) *Chron. Salisburg. p. m. 169.* (b) *German. ſacr. part. 1. p. 43.*
(c) *Chron. eccleſ. p. 1154. quoque Ann. 1290. denotat.*

SIFFRIDUS DEI gracia Hildenſem. eccleſiæ Epiſcopus univerſis Chriſti fidelibus ſalutem in eo, qui eſt omnium vera ſalus. Quoslibet Chriſti fideles ad zelum devocionis & opera Karitatis invitare cupientes omnibus vere penitentibus & confeſſis, qui in anniverſariis dedicacionum diebus altaris S. Crucis & S. Andree apoſtoli, & altaris S. Katerine virginis, & B. Marie Magdalene, monaſterii in Frankeneberge civitatis Goslar. devote ibidem convenerint, aut de bonis ſuis dicto monaſterio aliquid erogaverint, de omnipotentis DEI miſericordia, & B. B. Petri & Pauli apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, XL dies de injuncta eis penitencia miſericorditer relaxamus. Datum Goslar. anno domini MCCLXXXX.

Præfatus præſul ſtatim ſub initium regiminis ſui captos in bello, quod Albertus Dux Brunov. & Luneb. contra fratrem Ottonem geſſerat, gravi ære redimit, Sarſtettum recuperat, Empenaviam inſtaurat, & oppido in commodiorem locum translato nomen Gronoviæ imponit. Circa hoc tempus Saxonia noſtra iterum turbari cœpit. Occaſio hæc erat: Henricus mirabilis Dux Brunov. & Luneb. arce Herlingsbergenſi, quam Otto IV Imperator in conſpectu ferè Goslariæ olim conſtruxerat, occupata agro vicino crebris eruptionibus multùm damni inferebat. Præprimis verò ager Hildeſienſis ſæpius diripiebatur, quô motus Siffridus Alberto, Guilielmo, & Ottoni Ducibus Brunov. & Luneb. aliisque vicinis principibus, nec non urbibus Brunovico ac Goslariæ fœdere ſeſe jungit. Hi viribus unitis arcem præfatam obſident: Henricus verò collectis copiis eandem poſt cruentum prælium ab obſidione liberat ſociis in fugam conjectis. Pax quidem hanc cladem ſubſequebatur, ſed parùm firma: anno enim MCCXCI Herlingsberga iterum obſeſſa brevi ſub ſociorum imperium redigitur, ſolo æquatur, & locus Siffrido præſuli domino territorii traditur. Is novæ

arci

arci in eodem monte exſtructæ nomen Levenburgi impoſuit. (a) Hoc malè habuit Henricum mirabilem, ideoque fœdus cum fratre Alberto, quôcum in gratiam redierat, iniit, & ejus milite auctus arcem coronâ cinxit. Verùm Siffridus cum ſuis advolans obſidentes victos in fugam conjicit. Hinc Albertus & Henricus Olsburgum ad Fuſam fluvium muniunt Leuenthalii nomen eidem imponentes, & agri Hildeſienſis incolis multùm damni ex eadem inferentes. Siffridus, malo remedium quærens, Papenbergam confici curat, id quod militem præſidiarium Lauenthaliâ excedere cogit, quam præſul continuò complanat. Hoc facto arcem Calenbergenſem, quam Otto ſtrenuus Dux Brunov. & Luneb. ad Leynam fluvium ædificaverat, expugnat. Otto, par pari Siffrido relaturus, Albertum pinguem & Henricum mirabilem fœdere ſibi jungit, & cum Ottone Brandeburgio aliisque magnatibus agrum Hildeſienſem longè lateque populatur. Nec ſegniùs rem geſſit Siffridus arces & pagos Uslariam, Eberburgum, Gibelhuſam, Echtam, aliosque occupans & diripiens. Bellantes demum bellum utrimque pertæſi probis viris mediantibus pacem iniere. Siffridus ultimis vitæ temporibus arces Wallenrodam, Rutam, Harſtettum, Weſterhoſam, & Hundesrüccam coëmit, & diem ſupremum obiit VIII (vel ſecundùm alios V) Cal. Maji Anno MCCCX, ſepultus in templo cathedrali Hildeſiæ.

Anno MCCXCIV prid. beati Martini Epiſc. Meynerus Comes Slademenſis conventui Francobergenſi confert manſum Werræ ſitum, & à Bernhardo de Werre vaſallo ſuo ſororibus dono datum.

Anno MCCXCV in octava beati Jacobi Apoſtoli Volradus epiſcopus Halberſtadenſis viginti dierum indulgentias conventui elargitur.

Volradus, ſucceſſor Ludolphi Comitis Slademenſis, è nobili Cransfeldiorum proſapia prodiit, & eccleſiæ ſuæ IX annis præfuiſſe ſcribi-

(a) *Hiſt. Epiſc. Hildes. MS. in Siffrido II. Cranz metrop. l. 8. c. 39. Bünt. de Ep. Hildes. in h. Ep. Bruſch. de Archiepiſc. & Epiſc. Germ. epit. c. 11. §. 33. Henr. Roslæ Herlingsberga ap. Meibom. ſcript. rer. Germ. T. 1. p. 775. Gabr. Bucel. German. ſacr. part. 1. p. 19.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0056-5

ſcribitur. Sive verò ſecundùm *Cranzium* Anno MCCLXX, ſive, ut alii perhibent, Anno MCCLXI cœperit, ultra IX annos epiſcopatum adminiſtrare debuit. Tabulæ enim dictæ docent, ipſum adhuc anno ſeculi decimi tertii nonageſimo quinto in vivis fuiſſe, nec Hermannum Blancoburgium annô jam nonageſimô ſeculi præfati ſedi Halberſtadenſi præfuiſſe. Celeberrimus (a) *Henr. Meibomius* optimè hunc errorem notavit, aſſerens, è literis & Tabulis conſtare, Volradum totis XLII annis, ab anno nempe MCCLV ad annum usque MCCXVII munere epiſcopali functum eſſe, cui ſententiæ (b) *Homeiſterus* quoque ſubſcribit: hinc miror *Gabriel. Bucelin. Germ. ſacr. parte 2. p. 21.* ſcribentem, Volradum obiiſſe Anno MCCLXX, Hermannum Blancoburgium verò cœpiſſe eodem anno.

Anno MCCXCVII Henricus Comes Reinſteinius Francobergenſibus confert proprietatem trium manſorum; literæ ita ſeſe habent:

Nos DEI gracia HEINRICUS Comes de Regenſten nec non avunculus noſter dilectus Heinricus Canonicus Hildenſem. ecclefie, filius domini Burchardi comitis de Woldenberch, recognoſcimus in his ſcriptis publice proteſtantes, quod cum communi conſenſu & bona voluntate III manſos in campo Nowen ſitos cum omni utilitate ipſis manſis attinendis, quos etiam Johannes de Barem a nobis quondam jure tenuit pheodali, ecclefie in Vrankenberch intra muros Goslarie civitatis & conventui ibidem proprietatis titulo dimiſimus perpetue poſſidendos, ita, quod nec nos, nec noſtri heredes, deinceps contra dictam eccleſiam & conventum de his manſis nullam habebimus

G actio-

(a) *in Chron. Riddagsh. in Herman. XIV. Abb.* (b) *in Catal. Epiſc. Halberſt. MS. in Volrado.*

actionem nec faciemus, ſed ejusdem eccleſie & conventus de his manſis contra quoslibet juſti volumus Warandatores eſſe. In hujus rei teſtimonium preſentem literam hinc inde conſcriptam ſigillorum noſtrorum munimine duximus roborandam. Datum & act. A. Dni. MCCXCVII in die inventionis B. Stephani Protomartyris.

Jam olim inter nobiliores Saxoniæ familias claruit Reinſteinia, ſedem in arce cognomine, quæ præruptæ rupi inædificata erat, priſcis temporibus habens. Primus, de quo mihi conſtat, eſt Burchardus, qui inaugurationi cœnobii Michelnſteinenſis Anno MCLII interfuit, quo tempore etiam vixit Conradus monachus ejusdem cœnobii. Alius Conradus in Tabulis Henrici Leonis Id. Novemb. Anno MCLXX Hercebergæ datis citatur. Henricus vixit circa annum MCXC & Henrico Leoni in gravibus quæ geſſit bellis ſtrenuam navavit operam. Is filium habuit ejusdem nominis circa annum MCCV obvium, qui Henricum genuit, & hic Ulricum, qui Anno MCCXLII combuſtioni cœnobii Munche Naumburgenſis interfuit, & quadriennio pòſt vivere deſiit. Hic è Mathilde Honſteinia ſuſcepit Ulricum, bellum inter Güntherum Svalenbergium, Archipræſulem Magdeburgenſem, & Rudolphum Saxoniæ Ducem geſtum Anno MCCLXXVII unà ſequentem. Partem hujus ſtirpis ex (a) *Henr. Meibomio* addo:

HENRICUS 1212. 1224.

Theodericus Canonicus & Camerar. Halberſt. 1220. — Ulricus. — Siffridus. 1220. — Henricus.

Ulricus 1246. 1275. — Henricus ux. Bia Wartbergica 1264. — Otto — Albertus 1280. — Sigfridus.

Ulricus. — Luccardis.

Henricus 1318. 1357. — Ulricus. — Sigfridus. — Gerhardus. — Mathildis.

Ab hoc

(a) *Chron. Riddagshus. in Conr. IV. Abb.*

Ab hoc ſchemate multùm diſcrepat (a) *Andreas Hoppenrodius.* Ultimam pervetuſtæ hujus ſtirpis partem ſequens monſtrat ſchema:

ULRICUS obiit 1479.

Jodocus obiit 1529. | Bernhardus obiit 1524. | Ulricus obiit 1551.

Erneſtus Abbas Michelnſtein. elect. 1544. obiit 1581. | Bodo. | (b) Caſpar-Ulricus Abbas Michelnſtein. obiit 1575.

Ulricus Abbas Micheln-ſtein. obiit 1578. | Erneſtus. | Martinus obiit 1587.

Hans-Erneſtus ultimus familiæ obiit 9. Julii 1599.

E Tabulis ſuprà recitatis notari meretur, quod Henricus Woldenbergius præſul Hildeſienſis, ſub Canonici nomine hìc obvius, non fuerit Henrici Senioris (uti (b) *Clariſſ. Meibomius* opinatur) ſed Burchardi I filius, & Henrici Senioris è fratre nepos, fratres habens Burchardum II, Hermannum & Waltherum. Nec omittendum eſt, Henricum Reinſteinium matrem habuiſſe Henrici ſororem, cujus nomen non occurrit. Inde forſan eſt, quòd Ulricus Reinſteinius in tabulis Anno MCCC XXVIII datis præter gentilitia etiam Woldenbergiorum utitur inſignibus, prout hæc figura docet.

G 2 Anno

(a) Stambuch *p. 76.* (b) *Vid. Eliæ Reuſneri Iſagog. hiſtor. p. 624.* (c) *Chron. Riddagshus. in Joh. II. Abb.*

Anno MCCXCVIII feriâ ſextâ Dominicam Lætare præcedente Hermannus Comes Woldenbergius actioni III manſorum Novenii ſitorum renunciat. Teſtes : Senatus Goslarienſis, Torbo miles, Albertus & Bernhardus fratres ab Haringen, Giſero de Broclede, aliique quamplures.

XVII Cal. Jun. Reinhardus & Arnoldus fratres filii Rudolphi cœnobio vendunt II manſos Jerſtedæ ſitos, præſente Senatu Goslarienſi: Henricus igitur, Ludolphus & Otto, Comites Woldenbergenſes, quicquid in hiſce bonis juris habebant, conventui renunciant.

Anno MCCC ſorores denuò amplas indulgentias impetrant, quarum tenor eſt hic:

Univerſis Chriſti fidelibus preſentes literas inſpecturis nos frater Baſilius Jerletanus Armenorum, Adenulphus Conſanus, & frater Ranutius Laritanus miſeracione divina archiepiſcopi, & nos Bernhardus Pacens. frater Antonius Chenadienſis, Manfredus S. Marchi, frater Nicolaus Tortibulenſis , Thomas Eteſienſis, Nicolaus Neocaſtrenſis, & frater Jacobus Calcedonienſis eadem miſeracione epiſcopi, ſalutem in domino. Splendor paterne glorie, qui ſua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium , de clementiſſima ipſius majeſtate ſperantium, tunc precipue benigno favore proſequitur, cum devota ipſorum humilitas ſanctorum precibus & meritis adjuvatur. Cupientes igitur, ut monaſterium monialium S. Petri in Vrankelenberg in Goslaria ordinis S. Auguſtini Hildenſem. dioceſis honoribus frequentetur, & à Chriſti fidelibus jugiter veneretur ; omnibus vere penitentibus & confeſſis, qui ad dictum monaſterium in feſtivitatibus

ipſius

ipſius B. Petri ac Pauli, & omnium aliorum Apoſtolorum, nec non nativitatis, epiphanie, reſurrectionis, aſcenſionis, & Pentecoſtes; domini noſtri JESU CHRISTI, & nativitatis, annunciacionis, purificacionis, & aſſumtionis B. Virginis, & Vincentii, Stephani, & Laurentii martirum, Michaelis archangeli, Nicolai, & Martini Confeſſorum, ac B. B. Marie Magdalene, Katerine, Lucie, Eliſabete, Ottilie & Agnetis virginum, in commemoracione omnium ſanctorum, & in dedicacione ipſius monaſterii & altarium conſtructorum, in eo devote acceſſerit annuatim, aut qui ad fabricam, luminaria, reparamenta, ornamenta, & alia caritatis ſubſidia ipſius monaſterii manus porrexerit adjutrices, ſeu qui ad ſubſtentacionem monialium ibidem degencium ſuas pias elemoſinas erogarint, de omnipotentis DEI miſericordia, & B. B. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus meritis & auctoritate confiſi, ſinguli ſingulas dierum quadragenas de injunctis ſibi penitenciis miſericorditer relaxamus in domino, dummodo dioceſani voluntas ad id acceſſerit & conſenſus. In cujus rei teſtimonium preſentes literas ſigillorum noſtrorum fecimus appenſione muniri. Dat. Lateran. anno Domini MCCC Ind. XII die XV menſ. Novemb. pontificatus Dni. Bonifacii P. VIII anno ſexto.

ALEXANDER Præpoſitus quintus, huic Siffridus præſul Hildeſienſis VI id. Mart. Anno MCCCIV donum altaris eccleſiæ D. Petri propria manu confert Hildeſiæ, & cœnobii diplomata, privilegia, ac indulgentias confirmat. Teſtes: Siffridus præpoſitus, Henricus Decanus, Bernhardus Scholaſticus, Bernhardus Cantor, Otto præpoſitus

Montis Comes Woldenbergenſis, Bernhardus ab Hardenberg, Erneſtus Bok, Canonici Hildeſienſes.

II. Id. Jun. anni prædicti Conradus Prior provincialis cœnobiorum B. Mariæ Magdalenæ, ordinis D. Auguſtini, & præpoſitus Slademenſis, conventui libertatem concedit, quemcunque ſive ordinis prædicti, ſive Clericum ſecularem idoneum eligendi, qui præpoſiti munere fungatur, eundem in habitu ſeculari permanentem fratrem ordinis B. Mariæ Magdalenæ ad dies vitæ denominans. Hæc frater Geroldus cœnobiorum ordinis memorati præpoſitus generalis die Urſulæ Anno MCCCXI rata habet.

Alexander itaque munere præpoſiti & proviſoris inſtructus ad Conradum ſuprà nominatum ſeſe confert, & præfatorum confirmationem hisce Tabulis obtinet:

Nos frater CONRADUS, Prior provincialis monaſteriorum B. Mar. Magdal. ordinis S. Auguſtini, prepoſitus in Slatheim / dilectis ſuis in Chriſto filiabus M. Prioriſſe totique conventui ſanctimonialium dicti ordinis Frankenbergenſis eccleſie in Goslar cum prima dilectione oraciones in domino. Dominum Alexandrum, exhibitorem preſencium, quem vos una cum parochialibus veſtris unanimi conſenſu & canonica electione, ac noſtro accedente conſenſu, in prepoſitum & proviſorem concorditer elegiſtis, vobis transmittimus, precipiendo, quatenus ſibi obedienciam ut fratri noſtri ordinis electi teneremini & reverenciam debitam in omnibus faciatis, in nomine domini auctoritate noſtra eundem Alexandrum in ſeculari habitu, quamdiu ipſi placuerit, manentem preſentibus confirmamus. Dantes ſibi plenariam poteſtatem confeſſiones audiendi, excommunicandi & abſolvendi,

vendi, intra & extra exceſſus ſpiritualium & temporalium debite corrigendi, omnia & ſingula faciendi, que per fratrem noſtri ordinis electum anteceſſorem ſuum rite fieri conſueverunt. Nichilominus ratas habere volumus & firmas omnes ſentencias & proceſſus & penas, quas idem Dn. Alexander juxta conſtituciones & regulam noſtri ordinis rite tulerit in rebelles. Inſuper nolumus ipſum per nos aut per noſtros ſucceſſores generalem ſive provinciales, ſeu per aliquas frivolas occaſiones vel accuſaciones indebitas, que aliquando fiunt, quod abſit, aliqualiter deſtitui, niſi inveniretur manifeſtis aliquibus delictis recluſus, ex quibus eſſet ipſo jure ſecundum ſacros Canones deſtitutus. Nollumus etiam pretactum Dn. Alexandrum & veſtrum monaſterium onerare per nos ſive per noſtros ſucceſſores aliqua perſona ſeu perſonis noſtri ordinis apud vos locandis, niſi de bona ipſius Alexandri & veſtri conventus unanimi voluntate. Dat. anno Domini MCCCIIII in octava aſſumtionis B. Marie Virginis.

Nos quoque frater Geroldus B. Mar. Magdal. monaſteriorum generalis prepoſitus omnia & ſingula preſcripta rata ſervamus, & ſigilli noſtri munimine confirmamus. Anno Dni MCCCXI in die undecim mille Virginum ſigillum eſt appenſum.

Anno MCCCV prid. Servat. Confeſſor. Alexander à Conrado & Johanne fratribus, ac Ludolpho Comitibus Woldenbergiis dominium II manſorum Aſtveldæ ſitorum duabus argenti examinati marcis comparat. Fidem pro his dedere Hermannus de Govviſche, Aſchwinus & Henricus fratres de Walmede & Throbo milites. Teſtes:

Witte-

Wittekindus de Carslebüttel, Ludolphus de Lochtene milites, Johannes de Barum, Burchardus Honeſtus, Giſelbertus de Broclede, Conradus Mercator, Johannes de Vado, Henricus de Dornethen, Bartholdus Edeleri, Johannes ab Aſtvelde, & Senatus Goslarienſis.

Iidem Comites tempore præfato Alexandro vendunt ſequimanſum Scheningæ ſitum. Fidem cum prænominatis fidejuſſoribus dant Senatui Goslarienſi de procurando impuberum conſenſu.

Iidem feriâ ſecundâ poſt octavam pentecoſtes dominium & jus III manſorum Dornethæ, duorum Aſtveldæ, & ſeſquimanſi Scheningæ ſitorum, conventui noſtro vendunt.

Anno MCCCVI die Lunæ poſt feſtum Pentecoſtes Bernhardus & Fridericus pater & filius de Bokenem Henningo ab Aſtvelde Bodonis filio dominium unius manſi Aſtveldæ ſiti certô argentô vendunt. Fidem interpoſuere Andreas de Berkeveld, Ludolphus de Nette, Heneco Albrecht, Johannes Viſchbek, Johannes Troſt & Henningus ab Aſtvelde. Has tabulas ſignô ſuô obſignavit Conradus I Comes Woldenbergenſis.

Anno MCCCIX Henricus mirabilis Dux Brunov. & Luneb. venditionem proprietatis III manſorum Jerſtedæ ſitorum ratam habet in hiſce literis:

Nos DEI gracia HEINRICUS Dux de Bruneſwic tenore preſencium notum facimus univerſis Chriſti fidelibus preſentibus & futuris, quod, cum Conradus de Bilſten, & Bertholdus Eleri cives in Goslaria tres manſos in villa Jerſtede ſitos, quos de manu noſtra in feodo tenebant, cum omni jure ville, campi, ſilvarum, atque aqueductuum, de conſenſu noſtro vendiderint Alexandro prepoſito & conventui monialium ordinis S. Auguſtini eccleſie Mar. Magdal. in Frankenberch Goslarienſi: Nos volentes, & pietatis oculo intuentes, eundem conventum integra ac plena poſſeſ-

poſſeſſione predictorum bonorum gaudere perpetuo ob honorem Domini & glorioſe matris virginis Marie, ac B. Mar. Magdalene, nec non ob ſpem ſalutis eterne, proprietatem præfatorum III manſorum cum omni jure predicte ville & campi prefato conventui damus & concedimus nomine noſtro ac heredum noſtrorum omnium in perpetuum libere poſſidendum. Ut autem hec noſtra pia donacio firma perſeveret, preſens ſcriptum inde confectum ſigilli noſtri munimine duximus roborandum. Actum & datum anno incarnacionis Domini MCCCIX ſequenti die circumciſionis Domini.

Anno MCCCX poſtr. B. Jac. Apoſt. Henricus Vodermenger & uxor ejus Adelheidis Alexandro præpoſito, Adelheidi Prioriſſæ, & conventui Francobergenſi VII argenti examinati marcas hac lege dono dant, ut dimidium marcæ, ex ædibus cœnobii in Friſonum via ſitis quotannis perſolvendæ, in anniverſario ſuo die inter ſorores diſtribueretur, diesque prædictus vigiliis & miſſarum ſolennibus prid. Jacobi Apoſt. in perpetuum celebraretur.

Alexander, quò cœnobii ſui utilitati eò magis conſuleret, quasdam areas incultas excolendas aggreditur. Harum prima Amelungswiſche dicebatur, quæ ſitum habebat infra piſcinam inferiorem eccleſiæ Richenbergenſis & campos Aſtveldenſes. Secundæ nomen erat Grote la/ & tertia ſita erat inter dictum La & Hare/ & viam regiam, finesque utriusque La & Hare attingebat. Opus ad hanc rem erat conſenſu Arnoldi Theſaurarii eccleſiæ B. B. Simonis & Judæ Goslariæ, ad quem jus patronatus eccleſiæ Aſtveldenſis ſpectabat; ad hanc enim areæ prædictæ ab antiquo pertinuerant. Hanc Alexander die B. Joh. Bapt. Anno MCCCXI ea obtinuit conditione, ut præpoſitus quovis tempore exiſtens de La & Amelungswiſche fertonem, de tertia verò area lotonem quotannis ſolveret eccleſiæ Aſtveldenſi ad ſtructuram. Teſtes:

ſtes : Fridericus, Bodo, Hermannus de Gradu, præpoſiti Richenbergæ commorantes, Konemannus Scholaſticus eccleſiæ Apoſtolorum Simonis & Judæ, frater Conradus ab Hardenberg ordinis Minoris, Aſchvvinus de Saldere, Hermannus de Govviſche, milites, Siffridus Scap, Giſelbertus de Broclede aliique.

His die B. Nicolai Epiſcopi annuere Hermannus de Gowiſche miles, Henricus Comes Reinſteinius, & Hermanni conſanguinei Erferen dicti, Arnoldus ſcilicet miles, Bertholdus, Albertus, & Volcmarus de Govviſche. Arearum enim dominium ad Henricum Reinſteinium, advocatia ad Hermannum, jus verò pagi & feudale ad reliquos ſpectabant. Hermannus inſuper, acceptis XX argenti examinati marcis, ſe conventum in quieta poſſeſſione defenſurum ſpondet, addita libertate, ericam aratro ſubigendi, arbores eradicandi, foſſas ubique juxta vias perficiendi, ſylvas & ligna congruis temporibus cædendi, pecora conventus in paſcuis publicis paſcendi, ac demum in tantum arandi, ut quivis manſus XX jugera compleat. Teſtes iidem qui ſuprà.

Hôc eôdem die præpoſitus & conventus Richenbergenſis, nec non Aſchvvinus de Salder, conſenſum ſuum Alexandro dant, quoad quædam bona prædictis in locis ſita, quorum advocatia ad eosdem ſpectabat, hôc exceptô, ut Richenbergenſes minimè tenerentur reſarcire damnum ex inundatione aquæ piſcinarum in prato Amelungi forſan exorturum. Teſtes : Hermannus miles, Arnoldus, Bertholdus, Albertus, & Volcmarus de Govviſche, Arnoldus Theſaurarius, Konemannus Scholaſticus eccleſiæ B. B. Simonis & Judæ Goslariæ, Johannes de Barum aliique.

Eodem die Hermannus de Govviſche cœnobiis Novi-Operis & Francobergenſi libertatem concedit paſcuô, pratis, & campis pagi Langeniſſen eâ, quâ elapſis abhinc XXVI annis cum parentis & fratrum ſuorum conſenſu pactum erat, ratione utendi. Teſtes : Bodo præpoſitus Richenbergenſis, Burchardus præpoſitus Montis B. Georgii, Johannes de Barum, Conradus Copman, & omnes Coloni pagi Langeniſſen.

Hic idem Alexandro & conventui die præfato V marcis argenti examinati dominium unius manſi Aſtveldæ ſiti, & à Burchardo ab Aſſeburg milite comparati, vendit.

Tres manſi & quarta manſi pars in campis Aſtveldiis ſupererant ab omni advocatia & impeditione liberi, qui ad Johannem de Bokenem civem Goslarienſem ſpectabant. Hos aliosque IV manſos ibidem ſitos Alexander præpoſitus à vidua Henningi ab Aſtveld Bodonis filii, dominium verò aliorum duorum manſorum à Conrado, Johanne, & Ludolpho Comitibus Woldenbergiis die B. Nicolai, tertii etiam & quarti proprietatem ab Hermanno de Govviſche coëmit.

Hic præpoſitus res cœnobii non ſaltem coëmendô bona ſtrenuè auxit, ſed etiam advocatiam trium manſorum & curiæ cujusdam in campis prænominatis dono eidem dedit in octava Circumciſ. Domin. Anno MCCCXII addito jure pagi, campi, & ſylvæ, à feſto cathedræ Petri usque ad idem in biennium. Hæc bona Petrus ab Herceberge & uxor ejus Margaretha à conſobrinis ſuis Bertholdo & Alberto de Govviſche feudi titulô tenebant.

Die purificationis B. Mariæ Virg. Johannes præpoſitus, Abbatiſſa, & conventus Woltingerodenſis ad preces Conradi Comitis Woldenbergii Francobergenſibus vendunt duas curias, ac duos & dimidium manſos Weſtharingæ, eorumque dominium & commodum VIII marcis argenti examinati, excepta tamen advocatia, quam Alexander præpoſitus unà cum altera curia & dimidio manſi emtionis titulô à Conrado, Johanne, & Ludolpho Comitibus Woldenbergiis obtinuerat. Teſtes: Daniel & Wedego Sacerdotes, Wedekindus de Carslebüttel, Hermannus de Govviſche miles, & alii quamplures.

Hanc venditionem eſſe factam Woltingerodenſes eôdem die denuò teſtantur, Comites verò præfati, acceptis XII marcis argenti examinati, horum manſorum proprietatem in Francobergenſes transferunt. Teſtes: Ecbertus Johannis Comitis notarius, Conradus Plebanus Bornemenſis, Sacerdotes, Henricus de Kniſtede, Henricus Throbo, milites, Johannes, Hertzo, Rudolphus, & Johannes de Barum, pater & filii aliique.

Hoc tempore eccleſiam Hildeſienſem regebat Henricus Burchardi I Comitis Woldenbergenſis filius, Burchardi II, Hermanni I & Waltheri frater, Decanus primùm Hildeſienſis, & demùm ſucceſſor Siffridi II Anno MCCCX. (a) Huic ſtatim ab initio refragabantur cives Hildeſienſes, querentes, ſe à longo jam tempore juſtô duriùs ab Epiſcopis haberi. Henricus, vir quamvis ingenii mitiſſimi, adeò ægrè id ferebat, ut copiis conſcriptis urbem obſidione cingeret, civesque imperata facere cogeret. Rebus ſic diſpoſitis iter ad Henricum VIII Imperatorem ingreditur, ab eodemque bona à Siffrido II coëmta feudi titulô obtinet.

Rediens damnum à præſidiariis arcis Hoimboccenſis ſuis ſæpiùs illatum ægrè fert, ideoque eandem ope dynaſtæ Homburgii oppugnat, occupat, diripit, & ſolo æquat. Litigavit etiam cum Ottone Duce Brunov. & Luneb. ob bona quædam feudalia. A verbis ad manus eſt ventum, hinc inde excurſionibus factis, variâ fortunâ varioque exitu. Pax tandem hac lege eſt concluſa, ut Otto quod jure teneretur Henrico præſtaret.

Poſt hæc tempora Bokelheimium MC argenti marcis comparavit Henricus, & graviter apud Johannem XXII Papam ab æmulis delatus Avenionem perrexit innocentiam ſuam probaturus. Cauſam ejus iteratæ cum Hildeſienſibus contentioni adſcribit (b) *Letznerus*, quæ ſecundùm (c) *Cranzium* ortum ex hoc duxit, quòd Stürwaldenſem arcem in conſpectu urbis muniverit. Avenionem veniens gravi morbô corripitur, & diem ſupremum obit IV Id. Jul. A. MCCCXVIII, ſepultus in cœnobio B. Claræ.

Hic præſul Anno MCCCXIV die Cæciliæ virg. Francobergenſibus libertatem concedit areas Bodenſteinenſes aliaque bona limitibus notandi, prout literæ ſequentes pluribus edocent:

Nos

(a) *Vid. Gaſp. Bruſch. ep. de Archiepiſc. & Epiſc. German. c. 11. §. 34. Cranz. metrop. l. 9. c. 3. Bünting. de Epiſc. Hildes. in Henr. II. Vitæ Epiſc. Hildes. MS. in cod. Gabriel. Bucelin. Germ. ſacr. part. 1. p. 19.* (b) *Chron. Daſſil. l. 2. c. 2.*
(c) *Metrop. l. 9. c. 3.*

Nos HENRICUS DEI gracia Hildenſem. eccleſie epiſcopus volumus, ut prepoſitus Vrankenbergenſis eccleſie in Goslaria areas in Bodenſten, agros, prata, & ſylvas ſibi pertinentes, per dyoceſin noſtram ubiq; locorum ſitos debitis finibus & terminis aliquorum ſignorum diſtinctione poſſit caute & licite conſignare. Nichilominus dantes ipſi & eccleſie ipſius liberam facultatem à predictis bonis evellendi & exſtirpandi ligna, truncos, & arbores qualescunque, & extendendi in longum & in latum, prout agri culti & inculti ex utraque parte ſulcati ſulcis evidentibus diſtinguunt & oſtendunt. Licenciamus eciam dicte eccleſie & prepoſito fodendi foſſas, ſive faciendi ſepes juxta predicta, videlicet areas, agros, prata, & ſilvas, ac faciendi aqueductus ad piſcinas aut molendina, vel querendi lapides ad ſtructuram, & argillam, que in vulgo dicitur Mergɦel/ ad agriculturam, ſine periculo & prejudicio publice ſtrate, & omnium, quorum intereſt, vel in futuris poterit intereſſe. Hinc eſt quod volumus, ne aliquis officialis aut advocatus noſter in omnibus predictis dictam eccleſiam vel prepoſitum impediat ullo modo. Dat. anno Dni. MCCCXIV in die Cæciliæ Virginis.

Has Tabulas anno ſequente aliæ excepere, quarum tenor eſt hic:

Nos HENRICUS DEI gracia Hildenſem. eccleſie epiſcopus recognoſcimus publice proteſtantes, quod ſpeciali inducti affectu, quo monaſterium Sanctimonialium in Vrankenberch Goslar. noſtre dioceſis in domino am-

plectimur, aſſignamus eidem decimam ſive uſufructum decime novalium terrularum redigendarum ad agriculturam in locis **Sotiße / Ederdingesbroc** / & juxta rivum dictum **Grave** / ſitis in campis ville Aſtvelde, uſque ad ſummam ſex manſorum, de noſtri conſenſu Capituli ac libera voluntate, dicteq; uſufructum decime ad refectionē firmarie & conſolacionem monialium languidarum ſpecialiter deputantes, pro anime noſtre ac animarum parentum ac etiam predeceſſorum noſtrorum remedio, libere in dictum monaſterium preſentibus transferimus in perpetuum poſſidendum. Et ne ſuper hiis dubium imposterum oriatur, ſigilla, noſtrum videlicet ac dicti noſtri capituli, preſentibus ſunt appenſa. Datum anno Dni. MCCCXV.

Domin. Miſericord. Domini anni præfati Alexander præpoſitus cum Bodone præpoſito Richenbergenſi quosdam agros in campis Aſtveldicis permutat.

Anno MCCCXVII Otto Dux Brunov. & Luneb. ſequentes Tabulas conventui elargitur:

DEI gracia nos OTTO filius illuſtris principis Domini Alberti ducis de Brunſwic, volumus & concedimus de conſenſu patris noſtri, ut prepoſitus Vrankenbergenſis eccleſie in Goslar areas, agros, prata, & ſilvas ſibi pertinentes per juridictionem noſtri ducatus ubique locorum ſitos, finibus debitis & terminis aliquorum ſignorum diſtinctione poſſit caute & licite conſignare &c. reliqua enim Tabulis Henrici præſulis ſuperiùs recitatis planè reſpondent. Datum anno Domini MCCXVII.

OTTO hic, ob munificentiam liberalis dictus, Alberti cognomentô pinguis filius fuit, & parenti Anno MCCCXIIX mortuo ſucceſſit, inter

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0070-3

inter ſeptem fratres natu major, qui partem Ducatus Brunovicenſis nactus eſt. Is Anno M CCC XIX Stederburgenſibus aliquot bona vendit, Northuſam (a) Anno MCCCXXIX fruſtrà tentat, & urbem ac arcem Wolmerſtettenſem Anno MCCCXXIV expugnat. Duas in thoro habuit uxores, Agnetem Brandeburgicam & Juttam Haſſiacam; Sed ex neutra prolem ſuſcepit. Obiit A. MCCCXXXIV ſucceſſorem habens Magnum ſeniorem fratrem.

Die Cathedræ Petri Annô M CCCXVII Everhardus & Henricus fratres de Jertze cum conſenſu fratris Johannis Clerici, matris Lutgardis, uxorum Odilicæ & Salernæ, ac Everhardi hæredum Henrici & Lutgardis, Alexandro & conventui Francobergenſi vendunt omnia ſua bona, quæ erant pagus Jertze, & indago Smachthagen dicta, cum omni jure ac jurisdictione, ab omni advocatiæ, ſervitii, & petitionis ſeu exactionis onere penitus immunia, & præter hæc jus patronatus pagi præfati, jure tamen plebani ibidem ſalvo, idque pro CCC marcis argenti examinati ponderis & valoris Brunovicenſis. Pro hac venditione fidem dedere: Ludolphus Comes Woldenbergenſis, Wittekindus de Carslebüttel, Baſilius de Vreden, Henricus Throbe, Pyl de Berkeveld milites, Bruningus de Jertze, Conradus de Ganderſem, Bruningus de Ganderſem, Henricus de Sehuſen & Heydenricus de Kniſtede famuli. Teſtes adfuere: Otto Comes Woldenbergenſis majoris Eccleſiæ & Montis B. Mauritii Hildeſiæ præpoſitus, Conradus & Johannes Comites Woldenbergenſes, Henricus Bruningi, Hermannus ab Hedershuſen, Johannes de Vado, Canonici Gandeſiani, Conradus & Brandanus de Lindede, Henricus de Kniſtede milites, Leopoldus de Vreden, Hermannus de Ganderſem famuli aliique.

Singula hæc bona fratres præfati die Jovis poſt Paſcha reſignant Henrico præſuli Hildeſienſi & ejus Capitulo feudi dominis. Teſtes: Otto Præpoſitus major, Johannes & Ludolphus Comites Woldenbergenſes, Henricus Bruningi Canonicus Gandeſianus, nec non plebani Boken-

(a) *Fabric. memorab. Saxon. l. 2. pag. 259. Pomar. Chron. Saxon. p. 376. Bünting. Chron. Brun. edit. Meibom. p. 234. ſeq.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0071-9

Bokenheimenſis, Jertzenſis & Bilderlaenſis, Baſilius de Vreden, Conradus Rovere, Willebrandus ab Hareboldeſſen, Henricus ab Herlingsberg, Burchardus de Mander, Throbo ſenior & junior, Henricus de Kniſtede, Fridericus Bokel, milites, Aſchwinus ab Oldendorp, Heydenricus de Kniſtede, Bruningus de Jertze, Hertzo de Barum, Aſchvvinus, Willebrandus, & Ludolphus fratres ab Hareboldeſſen, Ludovicus ab Elvelingerode, Bruningus de Ganderſem, Johannes de Nette, Gerhardusd e Berle, Rotgerus Svaf, Gerhardus de Maldem, Woltherus de Sozerem, Eylhardus de Nette, Wittekindus & Achilles de Kniſtede, Thidericus ab Hedershuſen, famuli.

Hæcce renunciatio fiebat coram Henrico Hüttemeiſtero, Johannis Comitis Woldenbergenſis Gogrevio, cui judicium in diſtrictu Sehuſano tum temporis ab Alberto Duce Brunov. & Luneb. demandatum erat, id quod Johannes Woldenbergius literis ſuis die B. Walpurgis datis teſtatur, maxima teſtium ſuprà nominatorum parte adſtante.

His ita actis Henricus præſul cum conſenſu Capituli ſui dominium quorundam ex his bonis, imò ipſa eadem bona, eâ quâ ſuprà lege, IV id. Jun. Alexandro & conventui confert Hildeſiæ.

Nec minùs eccleſiam Jertzenſem cœnobio Francobergenſi incorporat in hiſce literis:

NOS HENRICUS DEI gracia Hildenſem. ecclesie epiſcopus preſentibus proteſtamur, quod, cum nuper villam Jertze totam, necnon indaginem Smachthagen dictam, cum omni jure, jurisdictione, proprietate, ac utilitate, ſuisque pertinentiis univerſis, in Prepoſitum ac conventum monaſterii Vrankenberch ſororum S. Mar. Magd. in Goslaria transtulerimus, & jus patronatus eccleſie dicte ville Jertze cum prædicta univerſitate libere tranſierit ad eosdem; Nos tamen prepoſitum ac monaſterium predictos

ctos adhuc largiori & ampliori gracia proſequi cupientes prefatam eccleſiam in Jertze cum ſuis juribus, obvencionibus, ac pertinenciis univerſis, de noſtri Capituli ac honorabilis viri Lippoldi de Stockem loci archidyaconi conſenſu, incorporavimus & preſentibus incorporamus, ac unimus monaſterio antedicto. Proviſo tamen, quod prepoſitus, qui pro tempore fuerit, dictam eccleſiam per ſe vel per alium officiari faciat, & archidyacono unum fertonem puri argenti loco ſynodalium procuret in feſto S. Michaëlis annis ſingulis miniſtrari, ſacerdos etiam, qui dictam officiabit eccleſiam, archidyacono obedienciam faciet, & archidyaconus ipſum de cura inveſtiet animarum. Sed a preſtacione ſinodalium prefatus clericus expers erit penitus & immunis, jure tamen noſtro & ſucceſſorum noſtrorum, quoad dictam eccleſiam & perſonam clerici officiantis eandem, ſemper ſalvo in omnibus ſicut prius. In quorum omnium felicem memoriam & perpetuam firmitatem ſigilla, noſtrum videlicet, Capituli noſtri, & archidyaconi ſupradicti preſentibus ſunt appenſa. Actum & datum Hildenſem. anno Domini MCCCXVII feria ſexta proxima ante feſtum nativitatis B. Johannis Baptiſte.

Præter hæc Otto Præpoſitus Hildeſienſis, Ludolphus & Otto, Comites Woldenbergenſes, Canonici Hildeſienſes, Cal. Sept. proprietatem duorum & dimidii manſorum in campis Jertzenſibus ſitorum, & ab Henrico de Jertze famulo reſignatorum, Alexandro & conventui in remedium animarum ſuarum & majorum ſuorum dono dant.

Ad dilucidanda præmiſſa fragmenta ſtirpis Jertzenſis ſubjungo:

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0073-0

N. de JERTZE uxor Lutgardis.

Eberhardus uxor Odilica 1317. | Henricus uxor Salerna 1317. | Johannes Clericus 1317.

Johannes 1349.

Eberhardus 1317. | Henricus 1317. | Lutgardis 1317.

Bruningus de Jertze uxor Eliſabetha 1317. 1333.

Bruningus. 1317. | Lutgardis. | Ilſabe. | Beata. | Mechtildis. | Petronella.

Johannes 1333. | Henricus 1333. | Bruningus. | Mechtildis.

Albertus, filius ejus Otto, & Albertus præpoſitus Eimbeccenſis, Duces Brunov. & Luneburg. prid. Pentecoſt. Anno MCCCXVIII juri ſuo in hiſce bonis, quæ in Comitatu ſuo Menigæ & Jertzæ ſitum habebant, renunciant. Teſtes: Otto præpoſitus, Conradus, Johannes, Ludolphus Comites Woldenbergenſes, Dethardus de Roſtorp, Strum de Gladebek, Henricus de Boventen, Burchardus de Mander, Henricus ab Herlingsberg, Johannes & Henricus Throbo, Henricus de Kniſtede milites, Henricus & Johannes de Seſen, Ludovicus ab Elvelingerode, Nicolaus ab Helperde, Uderde advocatus Seſenſis, Heidenricus de Kniſtede, & Heineco de Viteſſe.

Sermo hîc eſt de Alberto pingui Alberti magni filio, qui, parente (a) Anno MCCLXXIX mortuo, regimen terræ Göttingenſis eſt aggreſſus, eidemque fratre Guilielmô absque prole decedente, agrum Bruno-

(a) *Cranz. Saxon. l 8. c. 32. Bünt. Chron. Br. ed. Meib. p. 231. 232. & 233.*

Brunovicenſem, invitô quamvis fratre Henricô mirabili, Anno MCCXCII junxit. Arcem quoque Nienoverenſem Anno MCCCIII ab Ottone Waldeccio coëmit, & hôc eôdem annô, quô haſce Tabulas dedit, obiit.

Filii ejus citantur OTTO munificus, de quo ſuprà, & (a) ALBERTUS, tum temporis præpoſitus D. Alexandri Eimbeccæ, poſteà præſul Halberſtadenſis factus Anno MCCCXXIV. Sed antagoniſtam nactus eſt Ludovicum de Neindorp, quamvis aliquot annis pôſt epiſcopatu ſolus ſit potitus. Comites Hercynios Anno MCCCXLII acerrimos habuit hoſtes, de quo infrà pluribus, templum Prædicatorum Brunovici inauguravit, & tandem obiit Anno MCCCLVIII, cum munus epiſcopale per XXXIV annos geſſiſſet, ſepultus in templo D. Blaſii Brunovici.

Anno MCCCXX prid. Gregorii Pap. Thidericus de Stockem, Archidiaconus Banni Goslarienſis & Canonicus Hildeſienſis, literis ſuis teſtatur, cœnobium Francobergenſe ad ſolutionem annuam unius fertonis haud obligari, quamdiu Johannes Plebanus Jertzenſis rectoratum ejusdem eccleſiæ adminiſtraverit.

Continet autem Bannus Goslarienſis parochias D.D. Jacobi, Stephani, Thomæ, Johannis, Nicolai, Mariæ Virginis, Mariæ Magdalenæ, Catherinæ, Viti, Bartholomæi, Danielis, Ægidii, S. Sepulchri, Forenſem, & Francobergenſem, quæ IV marcis & duobus lotonibus communiter taxari ſolebant.

Transactum erat inter Francobergenſes & Novenenſes, vivente adhuc Henrico præſule Hildeſienſi, de quibusdam areis arboribus conſitis, & gramine camporum Bodenſteinenſium. Hanc transactionem Otto præſul Hildeſienſis die octavo Apoſtolorum Petri & Pauli Anno MCCCXXV ratam habet. Teſtes: Johannes ab Oberg, Henricus ab Herlingsberg, Burchardus de Mander, Henricus de Kniſtede, Aſchwinus ab Oldendorp milites, Dethmarus de Lutter, Thidericus de Man-

(a) *Cranz. metrop. l. 9. c. 18. Chron. Chr. eccl. p. 1081. Joh. Puchbach. in Catal. Epiſc. Halberſtad. Meibom. ſcript. rer. Germ. l. 2. p. 381. ſeqq.*

Mander, Dinkelerus, Conradus & Richardus de Dalhem fratres, Hildebrandus Vorſter, Henricus Berteken, & Volcmarus Reſe.

Otto hîc obvius prædeceſſoris ſui conſanguineus, Decanus primùm Hildeſienſis, præpoſitus poſteà major & montis B. Mauritii extra muros Hildeſienſes, fuit, & Henrico Anno MCCCXVIII ſucceſſit nominis ejus ſecundus. Hic ſtatim ſub initium altercavit cum quibusdam nobilibus, quos inter Monnichuſii & Engelboſtelius primarii erant: Hi enim cum valida manu agrum Hildeſienſem hinc inde diripiebant. Verùm Otto correptis armis in campum proceſſit, & commodam nactus occaſionem ad pagum (a) Oſſelse præfecturæ Coldingenſis pugnam cum iisdem iniit. Victoriâ potitus primores cepit, gravique multavit argentô, quo bona epiſcopatus oppignorata redemit. Præter hæc Lutteram arcem & præfecturas Bercenſem ac Calfeldenſem MMM argenti marcis coëmit. Lindaviam quoque arcem à Dynaſtis Pleſſenſibus ære ſuo comparavit, eandemque munitiſſimam reddidit. Nec minùs Sturvvaldæ munitiones ad umbilicum duxit, &, Simone Comite Daſſilienſi ſtirpis noviſſimô emortuô, Comitatum ejus Annô MCCCXXIX diœceſi ſuæ junxit, fœdus cum Ducibus Brunovic. & Luneburgenſibus pangens. Obiit Anno MCCCXXXV hæreditate ſua eccleſiæ Hildeſienſi legatâ. Malè autem obitus ejus in Ann. MCCCXXXIV refertur: vixit enim adhuc Cal. Auguſt. Anno MCCCXXXV, prout Tabulæ inferiùs producendæ luculenter probant. Nec ſtirpis ſuæ ultimus fuit: Otto enim Henrici VII filius eſt is, in quo pervetuſta Comitum Woldenbergiorum familia deſiit.

Anno MCCCXXIII die B. Virg. Lateranæ Johannes ab Oberg miles ejusque filii Johannes & Burchardus, acceptis à conventu noſtro II manſis Bodenſteiniæ ſitis, ad dies vitæ Johannis ſenioris & uxoris Berthæ, ſororibus parata auxilia quacunque occaſione promittunt. En Obergiorum inſignia:

Anno

(a) *Letzner. Chron. Daſſil. l.2. c.3. Cranz. metrop. l.9. c.12. Bruſch. epit. de Archiepiſc. & Epiſc. Germ. c.11. §.35. Vit. Epiſc. Hild. MS. in Ott. II. Bünting. de Epiſc. Hild. in cod.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0076-6



Anno MCCCXXVI prid. Pentecoſt. Comites Woldenbergenſes Francobergenſibus conferunt proprietatem ſylvæ Sunderenſis ejusque attinentias, quas Bernhardus & Fridericus pater & filius de Bokenem feudi titulô ab iisdem habuerant.

Die B. Jacobi Apoſtoli Luthardus & Otto Canonicus eccleſiæ Hildeſienſis, Luthardi dynaſtæ Meynersheimii filii, conventui noſtro dono dant proprietatem curiæ cujusdam Bokelheimii ſitæ.

Hi dynaſtæ ab antiqua ſede, quæ etiamnum in agro Luneburgenſi ſupereſt, noſtris *domicilium Meynhardi* denotante, nomen trahunt. Series certa ſtirpis non datur. Clariſſ. (a) *Henr. Meibomius* citat Luthardum & Luthardum fratres, qui vixere circa Annum MCCLXIV, quorum alter obiit Anno MCCCIII & Riddagshuſæ eſt ſepultus. Antiquiſſimos eſſe idem perhibet Theodericum & Rudolphum fratres circa Ann. MCXXXIII obvios. Partem ſtirpis hûc facientem è prælaudato (b) *Meibomio* ſubjungo:

Luthardus Senior miles obiit 1303.

Luthardus miles 1322.	Conradus fam. 1322.

Luthardus 1326.	Otto Canonicus Hildeſienſis 1326.

de quibus hîc eſt ſermo.

I 3 Inſignia

(a) *in Chron. Riddagshus. in Joh. I. Abbate.* (b) *Loco citato.*

Inſignia horum dynaſtarum ita ſeſe habent:



Hanc curiam Henricus de Kniſtede, qui ſepulturã ſibi & uxori in cœnobio procuraverat, pro remedio animæ ſuæ conventui dono dederat. Huic aſſenſum præbent die præfato Widekindus, Achilles, Conradus Canonicus D. Matthiæ Goslariæ, & Arnoldus ejus filii, curiam dictam Luthardo Meynersheimio reſignantes. Teſtes: Thidericus Pavvenberg, Burchardus de Mander, & Aſchvvinus ab Oldendorp milites. Donum hoc ratum habet N. uxor Beſeconis de Roſſing militis è ſtirpe Meynersheimia oriunda. Particulam ſtirpis Kniſtediorum eorundemque inſignia lectori ob oculos pono:

HENRICUS miles 1317.
Obiit ante 1326.

Wittekindus 1317. 1326.	Achilles 1317. 1326.	Conradus Canon. Goslar.	Arnoldus 1326.

Anno

Anno MCCCXXVII die B. Godehardi Johannes ſenior & Ludolphus Comites Woldenbergenſes dimidium decimæ Bokenheimenſis, quam à præſule Hildeſienſi feudi titulô tenebant, cœnobio noſtro vendunt. Hanc Otto præſul prid. Non. April. Alexandro præpoſito, Berthæ Priориſſæ, & conventui cum omni jure & proventibus confert, hac tamen lege, ut ab Eccleſia Hildeſienſi quotannis CXXX marcis argenti examinati redimi poſſit.

Die B. Gregor. Johannes de Nette areæ cujusdam ſylvæ, in & circa piſcinam Johannis Woldenbergii ſitæ, renunciat. Teſtes: Pyl miles, Hogerus de Woldenberg, & Gerhardus de Maldem.

Heneco Pape de Novven VII & dimidiâ argenti examinati marcis ponderis & valoris Goslarienſis, quotannis in feſto Michaëlis ſolvendis, tres frumenti modios menſuræ Goslarienſis cœnobio vendit. Teſtatur hoc literis ſuis Thidericus de Walmoden dictus Pavvenberg datis die Michaëlis. Teſtes: Burchardus de Mander, Aſchvvinus ab Oldendorp, milites, & Wittekindus de Kniſted famulus.

Anno MCCCXXVIII Ulricus Comes Reinſteinius conventui donat advocatiam dimidii manſi in his literis:

Nos OLRICUS DEI gracia Comes in Regenſten ad perpetuam rei memoriam notum eſſe volumus univerſis intuentibus preſens ſcriptum, quod habito conſenſu omnium heredum noſtrorum donavimus ac preſentibus donamus advocatiam dimidii manſi ſiti in campis ville Aſtvelde, cum omni jure ac utilitate, ſicut ad nos pertinebat, clauſtro Wrankelenberghe intra muros Goslar. in perpetuum poſſidendam, renunciantes omni juri, quod nobis in dicto dimidio manſo competebat racione advocatie, vel competere poſſet in futurum. In cujus donacionis evidens teſtimonium ſigillum noſtrum apponendum

dum duximus huic ſcripto. Datum Anno Domini MCCCXXVIII in vigilia Scholaſtice Virginis glorioſe.

Anno MCCCXXX die B. Nicol. Epiſc. Johannes, Ludolphus, & Henricus Comites Woldenbergenſes, Ottoni præſuli & Capitulo Hildeſienſi tradunt proprietatem IV manſorum juxta pagum Bonyum ſitorum, quos nobiles Kniſtedii feudi titulô ab ipſis tenuerant. Hanc Francobergenſes ære ſuo à præfatis Comitibus comparaverant, adeoque Otto præſul eandem Anno MCCCXXXI ineunte quadrageſima in Capitulo generali Hildeſiæ in eosdem transferebat.

Dietericus etiam de Bothmer & uxor ejus, mediantibus Burchardô de Mander, & Burchardo ab Hagen militibus, die B. Priſcæ cœnobio vendunt quædam è bonis Bonyemenſibus.

Præthereà Otto præſul Hildeſienſis, die Cinerum in dicto Capitulo generali conſtitutus, conventui dono dat decimam terrularum novalium in Heynsbergenſi monte, Bokenheimium & Bodenſteinium inter ſitô, & IV manſos complectente, cum jure dominii.

Die B. Ambroſii Thidericus de Walmoden dictus Pavvenberg & Aſchvvinus pater & filius partem ſylvæ, quæ olim ager cultus fuerat, ſylvamque Sachnovvorum & Bodenſteiniorum inter ſitum habebat, cœnobio hac lege donant, ut moniales poſtrid. B. Ruffi anniverſarium parentum ſuorum diem ritu ſolenni celebrarent, diſtributô inter ſorores hôc ipsô die, quicquid de ſylva memorata quotannis provenerit.

Die B. Walpurgis Henricus & Conradus Comites Woldenbergenſes piſcinæ Bodenſteiniæ, bonisque à parente & cognatis ſuis cœnobio donatis, renunciant.

JOHANNES præpoſitus VI, Kina Prioriſſa, & conventus Francobergenſis die B. Cæciliæ virg. Anno MCCCXXXII ſeſquimanſum, in campis Haringæ mediæ ſitum, à Burchardo longo, milite, patre Burchardo Canonico Halberſtadenſi, Burchardo Vaſolt, Burchardo medio, Burchardo juniore, fratribus & filiis Burchardi dicti militis ab Aſſe-

Aſſeburg, aſſentientibus Henrico Comite Sladenenſi, Alberto ejus filio & filia Lutgarde, nec non Burchardo Lochten milite ab Aſſeburg, in uſum templi D. Auguſtini, in medio cœmeterii cœnobii Francobergenſis ſiti, hac lege impetrant, ut horum bonorum proventus Plebano fani dicti traderentur, idemque in ſummis feſtis miſſam in templo majore celebrare teneretur, nec non quacunque occaſione in choro compareret, eô, quô ab aliis ſacerdotibus fieri conſvevit, modô. Jura tamen feudalia ſibi reſervant, quo, prout occaſio tulerit, alium clericum ab Archidiacono inveſtiendum denominare liberum haberent. Præterea proprietatem horum bonorum monialibus prid. omn. Sanct. conferunt.

Notari hîc loci meretur, quòd Burchardus ab Aſſeburg Canonicus Halberſtadenſis hîc obvius in parte hujus familiæ ab (a) *Henrico Meibomio* productæ frater Burchardi Lochten & patruus reliquorum Burchardorum, Vaſolti nempe, medii & junioris, nominetur. Verùm Tabulæ citatæ eosdem expreſſis verbis fratres & filios Burchardi militis nominant, verba Saxonica hæc ſunt: **Eck Her Borchart de lange/ gheheten van der Aßeborch Ridder/ un we Borchart Domhere to Halverſtad/ un Borchart Vaſolt/ un Borchart de middelſte/ un Borchart de jüngeſte/ Bròdere/ des vorbenomeden Ridderes ſòne ꝛc.** Et in Tabulis Burchardi Lochten hoc negotium concernentibus ita legitur: **Eck Herr Borchart de Lochte ridder van der Aßeborch bekenne openbar allen de deßen bref ſen un horen/ dat eck hebbe laten alle myn gud/ dat eck hadde over der overke in der Hildenſchen börde unde to Goslare lyt/ mynem Brodere herr Borcharte dem langen van der Aßeborch dem Riddere ꝛc.** ut adeò hæc ſtirpis Aſſeburgicæ pars ſequenti ratione diſponenda eſſet:

K Burchar-

(a) *in Chron. Riddagsh. p. 363.*

BURCHARDUS Henrici Ducis Brunov. Marſchalc. & Conſiliar. 1280.

- Burchardus longus miles 1318. 1332.
  - Burchardus Canon. Halberſt. 1314. 1332.
  - Burchardus Vaſolt. 1332. 1345.
  - Burchardus medius 1332.
  - Burchardus natu minimus 1332.
- Burchardus Lochte miles 1317. 1332.
  - Henricus 1322.
  - Burchardus 1333.
  - Ludovicus.

Bruningus de Jertze, Johannes, Henricus & Bruningus, pater & filii, Johanni præpoſito litem movebant de III manſis in indagine Smachthagen ſitis, deque decima camporum ejus & ædibus decimalibus pagi Jertzenſis. Hæc die beat. Mar. Magdal. Anno MCCCXXXIII hac ratione componebatur: *Præpoſitus & conventus dictis nobilibus V argenti examinati marcas enumeranto, hiq; liti ſuſceptæ penitus renuncianto.* Teſtes: Johannes Plebanus Jertzenſis, Henricus de Salder, Conradus de Gremsleve, aliique.

BERNHARDUS præpoſitus VII Johanni annô præfato morienti ſucceſſit, & ſtatim lites exercuit cum Johanne, Burchardo, Gerhardo, & Willebrando Comitibus Woldenbergiis ob dimidium decimæ Bokenheimenſis, quam parens eorum Johannes & conſanguineus Ludolphus conventui olim vendiderant. Comites tamen acquievere, & huic decimæ die Viti hac reſignârunt lege, ut parentis, matris, & majorum ſuorum anniverſarium obitus diem ritu ſolenni celebrarent moniales.

Anno MCCCXXXIV die B. Ambroſii Bernhardus præpoſitus, aſſentientibus ſenatu Goslarienſi & proviſoribus conventus, præfato ſenatui vendit cenſum annum IV marcarum argenti examinati XL marcis, redemtione tamen ſibi reſervata.

Anno MCCCXXXV Otto præſul Hildeſienſis Bernhardo ſequentes elargitur literas:

OTTO

OTTO DEI gracia Hildenſem. ecclesie epiſcopus universis preſencia viſuris ſeu audituris ſalutem & ſinceram in Domino Karitatem. Notum eſſe volumus, quod literas reverendi patris & domini Conradi quondam epiſcopi Hildens. predeceſſoris noſtri bone memorie non cancellatas, nec in aliqua ſui parte corruptas, vidimus, audivimus, & coram nobis legi fecimus, tenorem & formam inferiùs poſitam continentes: Univerſis S. matris ecclesie filiis preſentes literas inſpecturis C. DEI gracia Hildenſ. epiſcopus in oracionibus ſalutem in nomine JESU Chriſti. Ad perhibendum factis noſtris teſtimonium veritatis auctoritate preſencium proteſtamur, quod quia in ecclesia Frankenberch Goslarie per graciam DEI conventus dilectarum in Chriſto ſororum penitenciam & prepoſitus eſſe cepit, nos ejusdem loci prepoſito, videl. dilecto filio Petro de Mann, propterea porreximus donum altaris ecclesie memorate, diſtrictius inhibentes, ne aliquis archidiaconus Goslarienſis dictum prepoſitum vel ſucceſſorem in ecclesia ſupradicta de dono ſive receptione altaris preſumat in poſterum moleſtare. Dat. apud Poppenborch anno Domini MCCXLII, XV Kal. Sept. pontificatus noſtri anno XXII°. Nos igitur premiſſa rata & grata habentes ea auctoritate ordinaria in nomine Domini preſentibus confirmamus. In cujus approbacionis & confirmacionis noſtre teſtimonium preſentem literam noſtro ſigillo fecimus communiri. Datum in caſtro Schurett. anno Dni. MCCCXXXV, Kal. Auguſti.

Succeſſor Bernhardi fuit JOHANNES II præpoſitus VIII, cui Geſa ab Oſterrode die octavo B. Stephani Anno MCCCXLI domum in cœnobii area ſitam, & quotannis lotonem perſolventem, dono dat. Leges donationis fuere, *matertera ejus Giſeca eandem ad dies vitæ incolito; ſi verò eadem monaſticam amplexa fuerit vitam, marcam puri argenti ipſi perſolvito conventus, illa verò præfatas extradito ædes. Quòd ſi in vita monaſtica permanſerit, conventui omnem ſuam hæreditatem legare tenetor.* (a)

Succedunt hîc tempora Saxoniæ maximè turbulenta, originem è ſchiſmatica Capituli Halberſtadenſis electione tradentia. (b) Duobus enim præſulibus, Alberto nempe Brunovicenſi, uti & ſuprà, & Ludovico de Neyndorp Anno MCCCXXIV denominatis, graves turbæ in agro Halberſtadenſi ſunt obortæ. Nam Johannes XXII Papa Albertò rejectô munus epiſcopale Giſeconi nobili Holſato demandavit. Is verò Alberti potentiæ multùm impar fruſtrà auctoritatem ſuam firmare allaborabat. Nihilominus haud pauci è comitibus Hercyniis, qui Albertum gravi odio proſequebantur, armata manu in eundem proceſſere, agrum Halberſtadenſem ferè funditus evertentes. Hos inter primores erant Albertus & Bernhardus Reinſteinii, & Burchardus Mansfeldius. Albertus fratres & conſanguineos, nec non urbes Brunovicum, Halberſtadium, Quedlinburgum, & Aſcherslebam, ſibi jungens hoſtium ſuorum terras tanto furore vaſtabat, ut pacem nolentes volentes quavis conditione accipere cogerentur.

Hiſce temporibus ſedi Hildeſienſi præerat Henricus III Alberti pinguis filius Dux Brunov. & Luneb. magnô cum epiſcopatus damnô in ſchiſmate cum Erico Comite Schauenburgico Anno MCCCXXXV electus. Henricus, ingentis animi princeps, & potentiâ conſanguineorum ſuffultus, juri ſuo cedere nolebat. Aſt Ericus, Hildeſienſes aliosque Comites epiſcopatus vaſallos ſocios habens, arma armis oppone-

(a) *Vid. narrat. hiſtor. de Albert. ap. Meibom. ſcript. German. T. 2. p. 381. ſeqq.*

(b) *Crunz. metrop. l. 9. c. 15. Bruſch. ep. de Archiepiſc. & Epiſc. Germ. c. 13. §. 29. Spangenb. Chron. Mansfeld. c. 284.*

ponebat. His auxiliis fretus arces & vicos occupabat, & præprimis oppidum (a) Damb vi captum excidebat & ſolo æquabat. Henricus ſæpiùs cum hoſtibus manus conſerens ferè ſemper victoriam reportabat. Induciæ demùm in decennium pactæ quietem terris reddidere. Intereà temporis ſedulò agebatur de pace, ſed fruſtrà, bellumque induciis finitis graviùs ac antea exardebat, epiſcopatu ad extremam perniciem redacto.

Anno MCCCXLIV die Marc. Evang. Thidericus de Bornem Plebanus Dalheimenſis & Comitum Woldenbergenſium Capellanus Francobergenſibus legat duos manſos & tria prata juxta Bokenheimium ſita, quæ à comitibus præfatis ære ſuo comparaverat, poſt ſuum fratrisque obitum. His aſſenſum præbent Woldenbergii, proprietatem horum bonorum ad preces Thiderici cœnobio donantes, & ſtatuentes, ut ambobus emortuis die Sabbatho ſingularum hebdomadum miſſa de B. Virgine Maria, & quolibet anniverſario Thiderici die obitus ejus hac ratione celebraretur, ut præpoſitus Francobergenſis denarios ſeſquimarcæ valorem æquantes Prioriſſæ traderet, eademque ipſi duos ſolidos, cuilibet Capellano unum, cuilibet Scholari tres denarios, reliquum verò ſororibus erogaret. Teſtes: Johannes Plebanus Jertzenſis, Bertholdus plebanus Nettenſis, Johannes Throbo, Otto de Woldenberg famuli, aliique.

CONRADUS præpoſitus IX. Huic Beſeco & Henricus fratres de Rumbek die Gereon. Martyr. Anno MCCCXLVI vendunt III manſos Mechtegeshuſæ ſitos XX marcis argenti examinati. Teſtes: Burchardus & Gerhardus Comites Woldenbergenſes; Huic venditioni aſſenſum dant Nicolaus de Sehuſen, & Henningus de Goſlar, juri, quod in his bonis habuerant, reſignantes.

(a) *Bruſch. l. c. cap. 11. §. 36. Cranz. metrop. l. 9. c. 21. Vit. Epiſc. Hildes. MS. in hoc Epiſc. Gabr. Bucelin. German. ſacr. part. 1. p. 19.*

Nobilium de Goslar inſignia ita ſeſe habent:

Hôc eôdem annô diſtributio annua aliquot argenti marcarum hac ratione à conventu diſponitur:

Nos CONRADUS DEI gracia prepoſitus in Vrankenberghe in Goslaria, Margaretha Prioriſſa, Kunneghundis cuſtos, totusque conventus ecclesie B. B. Apoſtolorum Petri & Pauli ibidem, omnibus Chriſti fidelibus preſentem literam inſpecturis cupimus fore notum, ſeu viſuris publice proteſtamur, quod bona ecclesie noſtre ſita in villa Mechtingheshuſen, videl. III manſi, cum omnibus ſuis pertinenciis tam in villa quam in campo, ſilvis, pratis, paſcuis, terris cultis & incultis, queſitis & querendis, que videl. bona os cum oblacionibus quorundam fidelium ad memoriam eorundē & ad uſus ecclesie noſtre inter virgines in clauſtro ſuis temporibus diſtribuendas comparavimus. Iſte autem ſunt memorie; domini Wedegonis de Börſem felicis recordacionis, ad quam diſtribuetur una marca puri argenti; item ad memoriam Domini Henrici de Gylde pie memorie dabitur una marca puri argenti; item ad memoriam

riam Gertrudis dicte de Pölde dabitur una marca puri argenti; ad honorem & reverenciam omnium Sanctorum ſimiliter dabitur una marca. Preterea pie memorie fratrum & omnium benefactorum eccleſie noſtre habuimus quondam unum equum, qui venditus fuit VII marcis. Ad tales memorias peragendas preſentabitur una de preſcriptis bonis inter virgines in clauſtro ſuis temporibus diſtribuenda, dilacionibus omnibus poſtergatis, quæ videlicet bona prepoſitus & conventus eccleſie noſtre comparavimus à Baſilio famulo & fratre ſuo dictis de Rimbeke. Iſtorum bonorum emptionis teſtes ſunt Henricus Doliator, Conradus dictus Scap, Johannes de Brokelde, Thydericus Unrowe, Conradus Pepergröper, Hermannus Steltenberch, Johannes Vulvold, Johannes Ermberti, burgenſes in Goslaria, & plures alii fide digni. Act. & dat. anno ab incarnacione Dni. MCCCXLVI.

Acta ſunt hæc coram judiciô, teſtantibus id die B. Galli Burchardô & Gerhardô Comitibus Woldenbergiis, & Henrico de Ganderſem, advocato Dynaſtæ Homburgenſis.

Anno MCCCXLVII Abbatiſſa & conventus Stockerlingburgenſis noſtris fraternitatem ſuam in hiſce literis elargiuntur:

Anno Domini MCCCXLVII in die B. Marci Confeſſoris nos Abbatiſſa totusque conventus ſanctimonialium eccleſie B. Laurentii in Stockerlingheborch religioſis dominabus maxime devotis ordinis S. Auguſtini eccleſie B. Petri Apoſtoli in Frankenberghe oraciones noſtras indefeſſas. Ut communiter allegatur omnia tranſibunt, ſed non bona

facta

facta peribunt maximopere: ſic in ſpiritualibus nullum beneficium aliis benevolenter injunctum debet ſine retribucione bonorum temporum permanere. Ideo actiones graciarum pro donis & beneficiis veſtris referimus univerſis, & per unum munus, quod nobis optimum videtur terrarum, noſtre fraternitatis offerimus in his ſcriptis, omnium quoque miſſarum, vigiliarum, caſtigacionum corporum, oracionum, ceterorumque bonorum operum, que per ſorores noſtri ordinis dominus per miſericordiam ſuam fieri dederit, participacionem vobis concedimus preſentibus & futuris. Inſuper nichilominus addendo de gracia ſpirituali, etiamſi forte obitus aliquarum veſtrarum ſororum contigerit, & nobis intimatus fuerit, pro ipſa miſſe & oraciones injungantur, prout pro noſtra ſorore defuncta fieri conſuevit in noſtro conventu, & ut conſtitucio noſtri ordinis precipit generalis. In cujus conceſſionis teſtimonium hanc literam ſigillo noſtri conventus duximus roborandam. Valete in filio virginis glorioſe. Datum ut ſuper.

Die Johannis Evangeliſtæ anni præfati Thidericus ab Hedershuſen cum conſenſu Henrici Comitis Woldenbergii, Henningi Syverdes, Henningi Monnek, Hermanni de Binder, Dieterici Merteningh, Bernhardi Bimekerkhove, Henrici ab Ithuſen, Coneconis Lambertinghe, & Eliconis, Senatorum Bokenheimenſium, juri & actioni in bonis Bonyemenſibus renunciat, acceptis à Conrado præpoſito III & dimidio fertonibus.

Deſolata ferè erat diœceſis Hildeſienſis: bellum enim inter Henricum & Ericum aſſiduè durabat. Diremtum tandem eſt morte, Erici,

Erici, quæ contigit Anno MCCCXLVIII quieta poſſeſſione ſedis Hildeſienſis Henrico relicta. In hujus mente altè inſederat injuria, quam Hildeſienſes aliique Erici aſſeclæ in bello præterito ipſi intulerant. (a) Gravem igitur vindictam de iis ſumſit Hildeſiam & Stürwaldam inter, multos cædens, reliquos in fugam conjiciens. Hoc fracti Hildeſienſes gratiam Henrici implorabant, & eandem hac lege impetrabant, ut ſingulis hebdomadibus ad inſtaurandam arcem Mariæburgenſem XII libras Hildeſienſes penderent.

Turbis hiſce ſedatis ab excommunicatione papali liberatur Henricus, & ſolenni ritu inauguratur. Succedentibus annis arces oppignoratas redimit, quæ nil utilitatis ſuis afferebant complanat, hasque inter Grevelslebam, & Gilverhuſam in comitatu Daſſilienſi ſitas, & ruinam minantes inſtaurat, adeò ut moriens decem optimè munitas arces nullô ære alienô obſtrictas, Mariæburgum nempe, Winceburgum, Levenburgum, Stürwaldam, Rutam, Peynam, Slademium, Widelagam, Lutteram, & Woldenſteiniam, ſucceſſori reliquerit. Præterea Feſtum Corporis Chriſti in Epiſcopatu ſuo celebrandum primus inſtituit, memoriam annuam ſibi procurat, & demùm ſummâ prudentiæ, fortitudinis & probitatis famâ poſt ſe relictâ, diem ſupremum obit menſe Februario Anno MCCCLXII, ſepultus in templo cathedrali Hildeſiæ.

Anno MCCCXLIX die B. Nicol. Epiſc. Johannes de Jertze, mediantibus Hermanno de Govviſche milite, Johannne de Jertze famulô, Conrado Scap, & Johanne Unrowe, civibus Goslarienſibus, juri, quod in bonis Jertzenſibus habebat, renunciat, idem repetens Anno MCCCL die Lunæ poſt Epiphan. Domini.

Anno MCCCLI lis, quæ inter Thidericum Archidiaconum Goslarienſem & Francobergenſes vertebatur, hac ratione componitur:

Nos THIDERICUS de Stochem, DEI gracia Hildenſem. eccleſie majoris Canonicus & archidyaconus civitatis Goslarienſis, recognoſcimus literas per preſentes de

 hoc,

(a) *Vid. auctores ſuprà citatos.*

hoc, quod credebamus, quemlibet prepoſitum in Vrankenberge dicte civitatis pro tempore exiſtentem regimen ibidem parochie & curam animarum a nobis & ſucceſſoribus noſtris ſuſcipere debere & tenere. Quod tamen minime debuit fieri, ſecundum quod apertis literis venerabilium dominorum epiſcoporum & Capituli Hildeſienſis & aliis inſtrumentis ſufficientibus plene inſtructi ſumus & informati, unde impeticionem noſtram hactenus ſuper premiſſis habitam penitus amputamus, nec non preſentis tenore revocamus, nolentes eundem de cetero aliquatenus excitare. Ne tamen ex premiſſis jurisdictio noſtri archidyaconatus in aliquo enervetur, prepoſitus, qui pro tempore fuerit, mandata noſtra ac noſtrorum officialium adequenda recipiet, tanquam alter prepoſitus in noſtro archidyaconatu prehibito conſtitutus. Dantes preſentem literam ſigillo noſtro munitam ſuper eo anno Domini MCCCLI, tertia feria poſt epiphan. Domini.

JOHANNES III præpoſitus X die B. Vincent. A. MCCCLVI Bodoni de Rotting ædes quasdam ad dies vitæ ea lege incolendas tradit, ut ſuis ſumtibus easdem inſtauraret, & conventui quotannis fertonem argenti ſolveret.

Geſa de Bredenum Petri filia monialis Francobergenſis candelæ B. Virginis in choro monialium lucenti fertonem proventus annui legat, eumque in finem proviſoribus Rammesbergenſibus V argenti examinati marcas mutuò dat.

Ebelingus Sualenberg quondam conventui obtulerat XII argenti examinati marcas, promiſſis additis, ſe pro iisdem quotannis unam marcam ſoluturum eſſe. Hujus dimidium die omn. Sanctor. & reliquum die B. Benedicti inter moniales diſtribui debebat, dandô tamen

ejus

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0090-9

ejus partem præpoſito, ſacerdotibus, & Scholaribus. Sorores è contra dies præfatos vigiliis & miſſis in remedium animæ Wedegonis de Borſem celebrare tenebantur. Hoc ita tum temporis diſpoſitum fuiſſe Johannes præpoſitus, Mechtildis Prioriſſa, & conventus Francobergenſis literis ſuis prid. B. Martini Epiſc. Annô M CCCLVI datis teſtantur.

Anno MCCCLX die Martis poſt Domin. Reminiſcere, Johannes, Henricus, & Henricus de Jertze juri ſuo in bonis Jertzenſibus renunciant.

RICHARDUS præpoſitus XI lites exercuit cum Bertramo rectore eccleſiæ Rudenſis ob decimam unius manſi Scheningæ. Has Thidericus de Stockem Archidiaconus Goslarienſis poſtrid. Joh. Bapt. Anno MCCCLXV latâ hâc ſententiâ diremit, *decimam dictam minimè ad Bertramum ſed ad cœnobium Francobergenſe pertinere, illum verò ſumtus liti impenſos refundere teneri.* Hi cum perceptis IV marcas & XI fertones argenti examinati æquabant, quas tamen Thidericus ad quatuor & dimidiam marcas moderabatur, & rectores, proviſores, ac Clericos Archidiaconatus Goslarienſis Bertramum ſeriò exhortari jubebat, ut argentum præfatum menſis ſpatio conventui ſolveret, eundem, nî mandatis paruerit, in eventum excommunicans. Is nil id curabat, ideoque Clericis præfatis ſtrictiora dabantur mandata die poſt feſtum Bartholomæi, ut Bertramum ſingulis diebus feſtis & Dominicis ſolenniter & publicè pro concione denunciarent, additis monitis, ne populus ullo modo commercia cum eodem haberet.

JOHANNES IV cognomento Brandes præpoſitus XII, cujus & Mechtildis Prioriſſæ electio hiſce Tabulis confirmabatur:

Frater SYFRIDUS DEI & apoſtolice ſedis gracia præpoſitus generalis monaſteriorum B. Marie Magdal. per Alemanniam ad Romanam eccleſiam nullo medio pertinencium, ordinis S. Auguſtini, conventui noſtri monaſterii ſororum penitencium in Goslaria, quod vulgari-

ter dicitur Vrankelenberch, ſalutem in domino ſempiternam. Quia perſonaliter vos commode viſitare, prout ex officio noſtro tenemur, nequimus; at tamen ne videamur gregem nobis commiſſum ſine duce & rectore deviare, ideò confirmavimus & confirmamus preſentibus honorabilem virum Dn. Johannem Brandes in prepoſitum veſtri monaſterii & Mechtildim in veſtram prioriſſam, dando eisdem perſonis, videl. prepoſito & prioriſſe predictis, noſtram auctoritatem regendi vos in ſpiritualibus & temporalibus cum revocacione, ſalvo noſtro & noſtri provincialis jure, tempore exigente. Unde mandamus vobis conventus ſororibus in virtute S. obediencie, quatenus dictis prepoſito & prioriſſe obediencias & reverencias debitas faciatis, alioquin omnem penam ordinis, quam ferunt in rebelles, ratam habebimus usque ad ſatisfactionem condignam. Item volumus & miſericorditer vobis indulgemus, ut omnes prepoſiti & prioriſſe a conventu concorditer electi & electe virtute hujus litere eadem auctoritate fruantur, ut preſcribitur. Act. & datum in Hildenſem anno MCCCLXX in die S. Katarine noſtro ſub ſigillo.

Circa hoc tempus lis conventui movebatur de jure patronatus ſacelli Ordagshuſani à Johanne Throbo milite, Henrico Gere, Henningo Lambertingh, Henningo & Alberto Luderingh, fratribus, Euſtachio Merteningh, Conrado Suarte, Ludolpho patrefamilias Jertzenſi, Henrico Weſtfeld, & Henrico Stendal, nec non cunctis & ſingulis hæredibus Erfexen vulgò dictis. Hos Johannes Præpoſitus & Albertus Hoube plebanus Jertzenſis coram Gerhardo præſule Hildeſienſi in jus voca-

vocabant. Is Everhardum eccleſiæ Hildeſienſis Decanum denominabat, qui ſuo nomine cauſam cognoſceret. Cunctis ſedulò penſitatis litigantibus diem ad audiendam ſententiam præfigit. Hæc IX Cal. Jul. Anno MCCCLXXI talis pronunciata fuit; *jus patronatus ſacelli prædicti ad præpoſitum & conventum Francobergenſem ſpectare, hos eſſe veros ejus patronos, ipſum verò ſacellum ejusq; attinentias & commoda ab antiquo ad eccleſiam Jertzenſem pertinuiſſe, & jure etiamnum pertinere. Hinc ſacellum eidem adjudicari, impoſitô parti adverſæ perpetuô ſilentiô, eademq; ad litis expenſas condemnata.* Teſtes: Thidericus de Lutzingworden Scholaſticus templi B. Andreæ Hildeſiæ, Thidericus Carpentarius plebanus Elvedæ minoris, Bernhardus plebanus Dietrichshuſanus, Aſchwinus Pincerna miles, & Eylhardus Durecop civis Hildeſienſis.

Henricus III præſul Hildeſienſis mortuus erat, ut ſuprà dixi, Anno MCCCLXII. Huic Gregorius XI Papa ſucceſſorem dedit Johannem Schadlandium Colonienſem (e), virum apprimè doctum ordinis Dominicanorum, idque inſcio & invito Capitulo. Hic præſul literis magis quàm armis deditus nil niſi tranquillam quærebat vitam, belli ſtrepitus & turbas procul habens. Gravia igitur bella à prædeceſſoribus geſta edoctus, nec adhuc cuncta eſſe ſedata videns, à Papa inſtanter petiit, ut munus minùs turbulentum ſibi demandare dignaretur. Bienniô igitur elapsô in ſedem Auguſtanam eſt translatus, ſucceſſorem habens Gerhardum Dynaſtam de Monte prope Mindam.

Is eccleſiam Verdenſem ſummo cum fructu per aliquod temporis ſpatium rexit, &, Johanne Anno MCCCLXIV Auguſtam Vindelicorum pergente, ad epiſcopatum Hildeſienſem pervenit. Statim ſub initium regiminis ejus LX equites Weſtphali agrum Hildeſienſem rapinis & direptionibus multùm infeſtabant. Gerhardus ægerrimè id ferens juxta Aulicam oppidum graſſatores hoſce ad unum omnes trucidabat aut capiebat. Haud diu pôſt bellum inter hunc præſulem & Magnum junio-

(a) *Bruſch. epit. de Archiepiſc. & Epiſc. Germ. c. 11. §. 37. Vit. Epiſc. Hildes. MS. in hoc Joh. Gabr. Bucelin. German. ſacr. part. 1. p. 19.*

juniorem Ducem Brunov. & Luneb. exarſit, veteri odio ſepultisque querelis reſuſcitatis. Magnus, junctis ſibi Dietericô Archipræſule Magdeburgenſi, Alberto præſule Halberſtadenſi, principibus Anhaltinis, Volrado Comite Querfurtenſi, Günthero Svarceburgio, & Gebhardo Mansfeldio, inſignes coëgit copias, & populabundus agrum Hildeſienſem intravit. Gerhardus quamvis viribus multùm inferior pugnam minimè detrectabat. Pugnatum eſt III Non. Septembr. Anno MCCCLXVII ad Dinclerenſem pagum ſummis animis parique virtute. Victoria tamen penes Gerhardum ſtetit, cæſis ex adverſa parte multis primæ nobilitatis viris, & captis inter reliquos Magnô & Albertô Halberſtadio. Gerhardus, gravi argento à captivis extortô, cœnobium Carthuſianorum Hildeſiæ è fundamentis exſtruxit, arces Steinbruggenſem & Coldingenſem perfecit, tectumque turris minoris templi Cathedralis Hildeſiæ auro obduci curavit.

Turbis hiſce vix compoſitis novum ei exoriebatur bellum cum Alberto & Ottone Ducibus Brunov. & Luneburgenſibus, qui nobiles quosdam Hildeſienſes præſuli refragantes tuebantur. Hos ſubditis multùm damni inferentes in arce Walmodenſi obſedit & facilè ad deditionem coëgit. Albertus & Otto, quò præſulem in diverſa diſtraherent, Alveldium oppidum expugnant & diripiunt, arcem in oppido auſpicantes. At cùm miles præſidiarius Woldenbergenſis XL primæ notæ viros è Brunovicenſibus cepiſſet, res hac lege componebatur, (a) ut oppidum præfatum Gerhardo redderetur, & captivi priſtinæ libertati reſtituerentur. In hiſce & ſimilibus turbis vitam ferè transegit noſter præſul, adeoque annis & curis fractus cum conſenſu Capituli Johannem è comitibus Hoyenſibus epiſcopum Paderbornenſem coadjutorem ſibi adſcivit, & tandem obiit Anno MCCCXCVIII, ſepultus in templo Carthuſianorum Hildeſiæ.

Anno MCCCLXXVII die Matthiæ Apoſt. Thilo de Bornumhuſen con-

(a) *Bruſch. ep. Archiepiſc. & Epiſc. Germ. c. 11. §. 38. Vit. Epiſc. Hildes. MS. in h. Epiſcopo. Cranz. metrop. l. 10. c. 52. & 53. Compil. Chronol. ap. Piſtor. T. 1. ad h. a. Chron. Saxon. p. 407. 408. Gabr. Bucelin. German. ſacr. part. 1. p. 19.*

ſen conventui vendit dimidium marcæ proventus annui IV marcis argenti examinati, quem poſt obitum ſuum eidem legat.

Nec non Johannes Meiſe & Conradus Ramold, acceptis à Johanne Kiſſenbrügge & uxore ejus Maria XII marcis argenti Goslarienſis, die Mercur. poſt Pentecoſt. Anno MCCCC VI iisdem & conventui Franco-bergenſi cenſum annuum unius marcæ, è dimidio decimæ ſuæ Weſtharingenſis perſolvendæ, vendunt. Hic cenſus poſt eorum obitum cœnobio legabatur, quò obitus ipſorum dies memorialis celebraretur. Cuncta hæc rata habuit Johannes Antiſtes Hildeſienſis feudi dominus die Vener. poſt Pentecoſt.

Hic Johannes in perniciem eccleſiæ Hildeſienſis natus eſſe videtur: hanc enim graviſſimo implicitam bello ferè funditus peſſundedit. Fuit è Comitibus Hoyenſibus prognatus & hujus nominis tertius. Bonifacius IX Papa electionem ejus confirmavit. Primum ipſi bellum fuit cum Friderico Duce Brunov. & Luneburgenſi, qui agrum Hildeſienſem diripiebat & expilabat. Pace verò brevi pòſt ſubſecuta arcem Vordenſem ope Henrici Ducis Brunov. & Luneb. expugnat Johannes, & luxu ſenſim diffluens plus ſumtuum fecit quam epiſcopatus ferre poterat. (a) Imò vitam verè Epicuream vixiſſe ſcribitur, comeſſandô, potandô, & ſcortandô dies noctesque conſumens, quô ſubditorum ſuorum odium haud absque cauſa incurrit. Acceſſit Eggehardi ab Harenſee præpoſiti Hildeſienſis majoris gravis perſecutio: hunc enim, vanas prætexens cauſas, Stürvvaldæ arctæ cuſtodiæ mandavit, in qua mœrore confectus, ſeu potiùs ſuſpecta morte, miſerè periit. Præter hæc acerrimo bello cum Colonienſi & Magdeburgenſi Archiepiſcopis, Halberſtadenſi præſule, & Ducibus Brunovic. & Luneburgenſibus immixtus fuit, in quo diœceſis Hildeſienſis funditus periit. Hæc enim calamitas in tertium usque annum protrahebatur, & extrema eccleſiæ Hildeſienſi imminere videbantur, niſi pax maturè eſſet ſubſecuta. Johannes

(a) *Bruſch. epit. de Archiepiſc. & Epiſc. German. c. 11. §. 39. Cranz. metrop. l. 10. c. 46. Vit. Epiſc. Hildes. MS. & Bünting. in hoc Epiſc. Letzner. Chron. Daſſil. l. 2. c. 12. Bünting. Chron. Brun. part. 1. p. 111. Cranz. Saxon. l. 11. c. 8. Spangenb. Chron. Mansf. c. 309. Compil. Chronolog. ap. Piſtor. ad h. a.*

hannes tam grave damnum reſarcire neſciens Magnum præſulem Camynenſem Coadjutorem ſibi adſcivit, & obiit die Pancratii Anno MCCCCXXIV cùm eccleſiam ſuam irreparabili cum damno per annos viginti ſex rexiſſet.

Engelbertus præpoſitus XIII annô præfatô MCCCCVI die B. Martini Epiſc. cum ſenatu Bokenheimenſi de curia cœnobii Bokenheimii ſita, & duobus manſis extra muros, tranſigit. De hoc præpoſito præter hoc nil ampliùs occurrit.

Svicheldii circa hæc tempora arcem pervetuſtam Harceburgiam incolebant, & agrum Magdeburgenſem crebris eruptionibus haud parum turbabant. (a) Güntherus Archipræſul hanc audaciam vindicaturus Albertum Halberſtadium, Bernhardum & Henricum Duces Brunov. & Luneburgenſes, ac urbes Brunovicum, Goslariam, Magdeburgum, Halberſtadium, & Hannoveram fœdere ſibi jungit. Cuncta bello fortiter gerendo adornantur, & Otto Dynaſta Warbergius Svicheldiis erumpentibus invigilat, ſed ex inſidiis trucidatur. Socii mortem ejus ulturi Harceburgum arcta obſidione cingunt, cuncta ſed fruſtra molientes, quò eandem occuparent: Hyeme enim adventante obſidionem ſolvere coacti fuere. Induciis factis omnia pacata videbantur; ſed Svicheldii prædæ aſſueti & inducias nil curantes Anno MCCCCXII Goslarienſibus pecora denuò abegere. Oppugnatio igitur Harceburgi redintegratur majoribus ac anteà viribus. Nec eadem quæ annô præteritô oppugnantium ſors fuit; muris enim aſſiduo labore conquaſſatis obſeſſi demum pacem iniere hac lege, *Svicheldii principum & urbium hoſtes minimè ſunto, ſed eorum utilitati quantùm poſſunt conſulunto, arcem ſociis tradunto, & in loco cædis Warbergii ſacellum exſtruunto.* Henricus igitur eques, Brandanus & Conradus de Svichelde fratres, die B. Benedicti Harceburgum ſociis tradidere, qui arcem hanc protinus ſolo æquarunt.

Rembertus præpoſitus XIV, Gerbergis Prioriſſa, & conventus Fran-

(a) *Compil. Chronol. ap. Piſtor. ad a. 1412. Chron. Saxon. p. m. 451. Fabric. memorab. Saxon. l. 2. p. 279.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0096-2

Francobergenſis Anno MCCCCXX Syverdo Syverdi ejusque filio Henningo curiam ſuam Goslariæ ſitam ad dies vitæ feudi titulô conferunt ea lege, ut conventui quotannis in feſto Michaëlis Archang. III lotones monetæ Goslarienſis penderent.

HERMANNUS Hildenſem. præpoſitus XV Jutta Oſterrodes Prioriſſa, Bela Pakſteins cuſtos, Gerberga Burmeſters cellaria, Walpurgis Wicken cantrix, & conventus Francobergenſis die B. Hieronymi Anno MCCCCXXII Remberto Dedelves & Henrico de Guſtede presbyteris XXIV libris monetæ Peynenſis vendunt duas libras reditus annui in feſto Michaëlis Archang. perſolvendi, & iisdem mortuis ad conventum devolvendi.

Damnô afficiebatur conventus à Friccone de Damme, Henningo Salge, Statio Velhauer, Tilone Strobek, aliisque diœceſis Hildeſienſis laicis, in equis, vaccis, ovibus, & proventibus. Hinc graves querelas ad Martinum V Papam defert, qui Anno MCCCCXXIII hanc cauſam Decano eccleſiæ B. B. Simonis & Judæ Goslariæ cognoſcendam tradit in hiſce literis:

MARTINUS epiſcopus ſervus ſervorum DEI dilecto filio Decano eccleſie S. S. Simonis & Jude Goslarien. Hildenſien. dioc. ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Conqueſti ſunt nobis modernus proviſor, prioriſſa & conventus monaſterii in Vrankemberg Goslarien. per proviſorem & prioriſſam ſoliti gubernari, ordinis S. Auguſtini Hildenſem. dioceſis, quod Fricco Vamnedamme, Henningus Salghe, Statius Velhower, & Tilo Strobek, laici, & quidam alii laici dicte dioc. ſuper quibusdam equis, vaccis, ovibus, pecuniarum ſummis, & rebus aliis ad dictum monaſterium ſpectantibus, injuriantur eisdem. Ideoque diſcrecioni tue per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus

vocatis qui fuerint vocandi, & auditis hinc inde prepoſitis, quod juſtum fuerit, appellacione remota, uſuris ceſſantibus, decernas, faciens quod decreveris per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gracia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellacione ceſſante, compellas veritati teſtimonium perhibere. Datum Rome ap. S. Petrum XI Kal. April. pontificatus noſtri anno ſeptimo.

Martinus Papa V.

Pta gratis

C. de Urbino.

Martinus V Romæ è gente Columna prodiit, & ſucceſſit Johanni XXIV Anno M CCCC XVI, cunctis ob modeſtiam & eruditionem acceptus, juſtitiæ amans, affabilis, comis, & prudens. (a) Antipapam nactus eſt Petrum quendam, qui tamen paucorum meruit amorem, reliquis Martini partes ſequentibus. Hic Anno M CCCC XVIII concilium Conſtantienſe diſſolvit, & vivere deſiit Anno M CCCC XXXI, cùm ſediſſet annos XIV, menſes III & vixiſſet annos LXIII.

Circa hæc tempora graviſſimæ furentis plebis Halberſtadenſis turbæ ſunt ortæ, quas mercator quidam Matthias procerus dictus excitavit. (b) Is enim legitimo magiſtratu in carcerem conjecto auctoritatem

(a) *Vid. Platin. Onuphr. Panvin. & Nigrin. in Martino V.* (b) *Chron. Archiepiſc. Magdeb. ap. Meibom. in Nicol. Archiepiſc. Cranz. Saxon. l. 11. c. 11. Compil. Chronol. ap. Piſtor. ad a. 1423. Fabric. memorab. Saxon. ad h. a. Bünting. Chron. Brun. part. 1. p. 112. Spangenb. Chron. Mansfeld. c. 311.*

tem conſularem temerario conamine ipſe uſurpavit. Urbes vicinæ, precibus Johannis præſulis Halberſtadenſis motæ, rebelles fruſtra ad pacem exhortabantur. Imò plebs eò demum furorem extendit, ut quinque è ſenatoribus publicè capitis ſupplicio affecerit. Tantum ſcelus ulturi Johannes præſul, Magnus Dux Saxoniæ inferioris ejus coadjutor, & urbes Brunovicum, Goslaria, Magdeburgum, Hannovera, Hala-Saxonum, aliæque octodecim numero arma junxere, & Halberſtadenſes arcta obſidione cinxere. Matthias cauſæ ſuæ parum fidens clam ex urbe elabitur, Blancoburgum fugiens; ſed in itinere captus in caſtra deducitur. Reliqui aſſiduis ſociorum oppugnationibus fracti pacem efflagitant, traditis plerisque rebellionis auctoribus. Hi unà cum Matthia coram judicio conſtituti morti adjudicantur, manuque carnificis impiam exhalant animam. Urbs pace cum ſociis inita MMM florenorum multam ſolvit, quô peractô ſocii A. MCCCCXXV victorem exercitum ab urbe deducunt, quisque domum pergendô.

Anno MCCCCXXIV die Martis poſt Valentini Johannes præſul Hildeſienſis, Magnus præſul Camynenſis, ac urbes Brunovicum, Hildeſia & Hannovera fœdus in quinquennium ineunt, mutua ſibi auxilia neceſſitate urgente promittentes. Quinquennio hoc elapſo Goslaria, Magdeburgum, Brunovicum, Hala-Saxonum, Hildeſia, Halberſtadium, Göttinga, Quedlinburgum, Aſchersleba, Eimbeca, Hannovera, Helmæſtadium, Northeimium, Merſpurgum, & Hamelia die Lunæ poſt Quaſimodogeniti Anno MCCCCXXIX novum fœdus pangunt.

In hæc eadem tempora incidit bellum Magdeburgicum, quod magno furore utrinque eſt geſtum, multoque ſanguine conſtitit. Huic partim anſam dabat Güntherus Archipræſul, partim etiam urbs Magdeburgenſis. Ille enim civium privilegia infringere, hi verò urbem ſuam invito Archipræſule munire conabantur. Sub initium cauſa hæc coram concilio Baſileenſi ventilabatur; ſed cives moræ impatientes Johannem Marchionem Brandeburgenſem, Henricum Ducem Brunov. & Luneb. ac urbes Brunovicum & Halam-Saxonum ſibi junxere, quorum auxiliô Kalbam, Ackenam, & Stasfurtum expugnârunt.

 Günthe-

Güntherus verò à concilio præfato ſententiam in rebelles obtinuit, ut ſub pœna excommunicationis & proſcriptionis cuncta in priſtinum ſtatum reſtituerent.

Hi ſententiam parvi pendentes Otterslebam, Schonbeccum, Borgum, Lobergam, Möckemum, Nigripum, & Tuchenam, occupant, Halenſibus Fridburgum expugnantibus. Aſt cùm hi eâdem cum Magdeburgenſibus pœnâ afficerentur, (a) ſenatus ſatietate turbarum captus veniam à concilio impetrat invitis & inſciis civibus. Hi enim Magdeburgenſes neutiquam deſerturi ſenatum cuſtodiæ mandant. Urbes tamen vicinæ Magdeburgum, Brunovicum, Halberſtadium, Aſchersleba, Quedlinburgum, aliæque litem intercipientes turbas haſce prudentiâ ſuâ ſedant.

Canonici verò Magdeburgenſes, qui bellum proſequi decreverant, & auxiliis Friderici Saxoniæ electoris, Guilielmi Thüringiæ, Ludovici Haſſiæ Landgraviorum, & Comitum Svarceburgii, Mansfeldii, Stolbergenſis & Honſteinii aucti erant, cum XII M. hominum exercitu Halenſes obſident. Obſidio in longum tempus protrahebatur ob egregias urbis munitiones, & fortitudinem militis præſidiarii. Bellum tandem ope Johannis præſulis Merſpurgenſis & Bernhardi principis Anhaltini hac ratione componebatur, *ut loca expugnata diœceſi redderentur, ſumtus bello impenſi utrimq; compenſarentur, opera daretur, ut Halenſes ab excommunicatione liberarentur, & demum Magdeburgenſes gravem multam penderent.*

HENRICUS II præpoſitus XVI, Lutgardis Prioriſſa, & conventus Francobergenſis die Dominica Epiphan. Anno MCCCCXXXV ædes vetuſtas frumentarias Alexandro Bodeker hac conditione locant, ut easdem ſumtibus ſuis inſtauraret, idem poſt obitum ſuum ab Alexandri junioris filiabus ſuperſtitibus fieret, & cunctis emortuis eædem ad conventum liberè redirent.

Idem præpoſitus die B. Thomæ Apoſt. poſſeſſori altaris trium magorum

gorum

a) *Chron. Magdeburg. ap. Meibom. pag. 357. Cranz. Saxon. l. 11. c. 20. & ſeqq. Spangenberg. Chron. Mansfeld. c. 319. Bünting. Chron. Brun. part. 1. p. 115.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0100-1

gorum templi forenſis Goslariæ proventum annuum IV florenorum Rhenenſium, è decima Scheningenſi & III manſis ibidem ſitis ſolvendorum, L florenis ejusdem valoris vendit.

Anno MCCCCXLII Magnus præſul Hildeſienſis Giſoni Lansbergen facultatem concedit Cluſam exſtruendi. Tabulæ latinè redditæ hæ ſunt:

Nos MAGNUS DEI gratiâ præſul Hildeſienſis literis hiſce cunctis easdem audientibus & legentibus notum facimus, quod veniam & facultatem concedimus Giſoni Lansbergen miniſtro noſtro Cluſam juxta prædium Bodenſteinenſe exſtruendi, in eadem commorandi, vias & ſemitas emendandi & perficiendi, cunctis Chriſti fidelibus pœnitentiam peccatorum agentibus, & confeſſionem, ac correctionem vitæ efflagitantibus, Giſoni prædicto opem ferentibus, & eleemoſynas larga manu porrigentibus, auctoritate Domini noſtri JESU CHRISTI & Apoſtolorum ejus Petri & Pauli, ſedisque Romanæ, XL dierum indulgentias elargimur. In hujus rei teſtimonium ſignum noſtrum hiſce literis appendi fecimus. Datis annô à Chriſto nato MCCCCXLII die Martis feſtum Michaëlis præcedente.

Præſul hîc loci obvius Saxoniæ inferioris Ducibus originem debet, & primò ſedem Camynenſem rexit, Johanni præſuli Hildeſienſi Anno MCCCCXXIV ſuccedens. (a) Is ſummo ſtudio id allaboravit, ut res diœceſis fatiſcentes reficeret, ideoque plura bona oppignorata redemit. Poſteà Guilielmo Victorioſo Duci Brunov. & Luneb. contra fra-

(a) *Bruſch. ep. de Archiepiſc. & Epiſc. Germ. c. 11. §. 40. Cranz. metrop. l. 11. c. 28. Vita ep. Hildes. MS. in hoc Epiſc. Compil. Chronol. ap. Piſtor. ad a. 1432.*

tra fratrem Henricum pacificum bellantem auxilio fuit. Bellum tamen mediantibus Johanne Marchione Brandeburgenſi, Ottone Duce Brunov. & Luneburgenſi, & Ludovico Haſſiæ Landgravio, paulò pòſt componebatur, pacto, ut Henrico Ducatus Brunovicenſis permaneret, Guilielmo verò ducatus Calenbergenſis additis XIV (M) florenis cederet.

Haud diu ante hoc bellum, annô nempe MCCCCXXXI, præſul noſter fœdus inierat cum Henrico & Mauritio Comitibus Spigelbergiis contra Ottonem & Fridericum Duces Brunov. & Luneburgenſes. Lis tamen brevi poſt, maximô damnô agro Brunovicenſi illato, Hannoveræ auſpicatò componebatur. Hôc factô Magnus A. MCCCCXXXIX die Lunæ poſt Trinitatis cum conſenſu Capituli ſui & ordinum diœceſis Hildeſienſis XL annorum fœdus init cum Luneburgenſibus & Hannoveranis, donum MMMM aureorum Hildeſienſium à præfatis urbibus accipiens.

Anno MCCCCXLIII lites inter Ottonem & Fridericum Duces Brunov. ac Luneb. & Luneburgum obortas unà cum aliis proſperè componit. Anno MCCCCXLVI comitatum (a) Wunſtorpienſem à Julio & Ludolpho Comitibus de Rode & Wunſtorp emit, ſed eundem mox Guilielmo Victorioſo revendit. Alios inter principes bellum infert Suſatenſibus, qui ſe imperio Dieterici Archipræſulis Colonienſis ſubduxerant. Graviter quoque altercavit cum Guilielmo ſeniore, ejusque filiis Guilielmo juniore & Friderico Ducibus Brunov. & Luneburgenſibus; his & Hannoverani immiſcebantur, ſed die Lunæ poſt Trinitatis Anno MCCCCXLIX pacem cum præſule faciebant. Hic tandem ætate ingraveſcente coadjutorem ſibi elegit Bernhardum Friderici Pii Luneburgii filium, & è vita exceſſit Annô MCCCCLII, ſepultus in templo Cathedrali Hildeſiæ. Schema genealogicum Magni ſubjungo:

(a) *Chron. Saxon. p. 494. Bünt. Chron. Brunov. part. 2. p. 56.*

Johan-

Johannes I Saxoniæ inferioris Dux primus (a)
obiit 1285.

Johannes II ob. 1310.	Albertus II ob. 1314.	Ericus I obiit 1338.	N. Filia.

Albertus III obiit 1344. | Ericus II obiit 1401.

Ericus III obiit 1411, uxor Catherina Brunovicenſis.

Ericus IV ob. 1435.	Johannes III ob. 1414.	Magnus præſul Hildeſiens. ob. 1452.	Albertus Canon. Hildes. ob. 1422.	Bernhardus.	Catherina.

Anno MCCCCXLIII crux quædam argentea conſecratur in templo Francobergenſi. Tabulæ ſunt ſequentes:

JOHANNES DEI & apoſtolice ſedis gracia eccleſie
Miſinenſis epiſcopus, in pontificalibus Vicarius generalis
reverendorum in Chriſto patrum & dominorum, domi-
norum Magni Hylden. & Alberti Mynden. eadem gracia ec-
cleſiarum epiſcoporum univerſis & ſingulis preſentes no-
ſtras literas viſuris notificamus per easdem, quod ob re-
verenciam dominice paſſionis preſentem crucem argen-
team nobis ſuffragante Spiritus S. gracia conſecravimus
& ſubſcriptas impoſuimus reliquias. Scilicet de ligno S.
Crucis, de S. Johanne, de S. Laurentio, de S. Cyriaco, de
S. Odolrico, de S. Bernhardo, de S. Katerina & ejus oleo,
de S. Agneta, de S. Petronilla, & de S. Dorothea. Omnibus
igitur vere penitentibus & confeſſis, qui oracionem paſ-
ſionis

(a) *Vid. Rittershus. Tabb. Geneal. in hac famil.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0103-8

ſionis domini noſtri JESU CHRISTI coram iſta cruce conſecratæ dominicam recitaverint . . . . ſalute cum Angelica, ſive oſculum pacis, nec non & benedictionem cum ea devote receperint, quando . . . . . . de injunctis eis penitenciis de qualibet particula reliquiarum XL dies indulgencias in domino miſericorditer relaxamus. In cujus teſtimonium ſigillum noſtrum preſentibus eſt appenſum. Dat. anno Domini MCCCC XLIII ipſo die B. Eliſab. vidue.

Mortuô, ut ſuprà dictum, Magnô præſule Hildeſienſi Bernhardus Dux Brunov. & Luneb. regimen ſedis capeſſebat, & ſtatim Anno MCCCCLIII die Jovis feſtum Simonis & Judæ præcedente cum Guilielmo ſeniore, Henrico pacifico, Guilielmo juniore, Friderico, Henrico, Erneſto, & Alberto Ducibus Brunov. & Luneb. fœdus in triennium inibat. (a) Hicce princeps annis quamvis juvenis moribus & prudentiâ ſenes æmulabatur, res diœceſis ſuæ egregiè curans. Imò ſcribunt, quòd eadem ab ære alieno, quô obſtringebatur, liberata fuiſſet, ſi Bernhardus eandem diutius rexiſſet. Nam parente Friderico ſeculo valedicente fratris ſui Ottonis ſedulam geſſit curam, res ducatus Luneburgenſis graviter adminiſtrans. Anno MCCCCLVIII bellum geſſit cum Guilielmo ſeniore cognato. Cauſa hæc erat: Canonici D. Blaſii Brunovici, quibus varia erant bona in ſalinis Luneburgicis, iisdem ferè defraudabantur. Sæpiùs ſed fruſtra à Bernhardo efflagitabant, ut remedium malo afferret, ideoque rem ad Papam deferebant, optatamque obtinebant ſententiam. Hujus executio Guilielmo ſeniori mandabatur, qui confeſtim copias conſcribebat, & bellum ſtrenuè adornabat. Bernhardus hoſti obviam procedens pugnam cum Guiliel-

(a) *Bruſch. de Archiepiſc. & Epiſc. Germ. c. 11. §. 41. Cranz. metrop. l. 11. c. 41. Vit. Epiſc. Hildes. MS. in Bernh. Bünting. Chron. Brun. part. 2. p. 56. Cranz. Saxon. l. 11. c. 37.*

Guilielmo init, & victoriâ potitur. Hanc paulò pòſt ſecuta eſt pax, cuncta pacata reddens. Bernhardus, ſecularem eccleſiaſticæ vitæ præferens, Anno MCCCCLIX epiſcopatum Hildeſienſem Erneſto Schauenburgio reſignat, ducta ejus ſorore Mathilde virgine pulcherrimâ & venuſtiſſimâ.

Anno MCCCCLXI Ludovicus Haſſiæ Landgravius Eimbeccam occupare conabatur, eumque in finem Pylshagam uſque cum exercitu proceſſerat. (a) Henricus verò & Albertus Duces Brunov. & Luneb. nec non vicinæ urbes Goslaria, Brunovicum, Göttinga, & Northeimium, opem ſociæ urbi ferentes conamina Ludovici facilè eludebant.

Annô MCCCCLXII lites ob bona Canonicorum Brunovicenſium in ſalinis Luneburgicis recrudeſcebant. Guilielmus ſenior & Fridericus, ſuorum cauſam tuentes, quantùm poterant damni Luneburgenſibus inferebant. (b) Bernhardus verò Luneburgius, junctis ſibi Erneſto præſule Hildeſienſi, & urbibus Hanſeaticis, Guilielmi terras haud ſegniùs vaſtabat. Bellum hac tamen lege componebatur, ut Moringa à Guilielmo in pignore daretur, usque dum lis jure eſſet deciſa.

Annò præfato die Mercur. poſt B. B. Petri & Pauli Henningus de Rode Johanni de Bornumhuſen proventum annuum dimidiæ marcæ ſex argenti marcis vendit.

Anno MCCCCLXVI die Panthal. Martyr. idem Johannes præfatum proventum Mettæ Tempels moniali Francobergenſi, & poſt ejus obitum conventui ibidem in æternum legat.

Anno MCCCCLXVII die Viti martyr. Johannes Dorſted civis Goslarienſis cum conſenſu fratris Henrici aræ D. Johannis Evangeliſtæ, ſupra ſacellum B.B. Brixii & Eraſmi in templo Francobergenſi ſitæ, L florenos hac lege dono dat, ut eorũ collatio præfatis fratribus ad dies vi-

N tæ com-

(a) *Cranz. Saxon. l. 12. c. 1. id. metrop. l. 11. c. 49. Bünt. Chron. Brunov. part. 3. p. 95. Spangenb. Chron. Mansfeld. c. 334.* (b) *Bünting. Chron. Brunov. ed. Meibom. p. 434. Cranz. metrop. l. 11. c. 49.*

tæ competeret, iis verò emortuis eadem ad moniales & diaconos templi dicti devolveretur.

Erneſtus præſul Hildeſienſis, qui hucusque eccleſiam ſuam ſatis tranquillè rexerat, ultimis vitæ diebus graviſſimo bello involvebatur cum Friderico Duce Brunov. & Luneburg. cujus cauſa mihi non conſtat. (a) Fridericus agrum Hildeſienſem ferro ignique funditus vaſtabat. Erneſtus, quò malo remedium afferret, cum ſuis hoſti fortiter obviam procedebat. Hinc prælium cruentum oboriebatur, nam utrimque magnâ ferociâ pugnabatur. Stetit tamen victoria penes Fridericum, Erneſtô ægrè fugâ Hildeſiam elabente. Hæc clades agro Hildeſienſi ingentem calamitatem peperit, imò Erneſtus tantum animi dolorem ex eadem cepit, ut Anno MCCCCLXXI mœrore confectus obierit.

Obitus verò ejus funeſtior ferè fuit ac bellum antecedens. (b) Schiſmate enim oborto pars Canonicorum Hermannum Haſſiæ Landgravium, pars verò Henningum ab Huſs Decanum Hildeſienſem elegere. Henningus confirmatione papali impetrata bona oppignorata redimere conſtituit, deque eo nobiles ſuos, qui haud pauca ex iisdem poſſidebant, certiores facit. Hi bonis hiſce cedere nolentes vicinorum principum opem implorant, unde nova agri Hildeſienſis vaſtitas. Hermannus Haſſus rixas & bellum odio habens, derelictâ turbulentâ eccleſiâ Hildeſienſi, Coloniam revertitur. Eggehardus itaque de Wenden præpoſitus, Canonici ejus partes ſequentes, nobiles & urbes minores (c) Hermanno Balthaſarem Mekelnburgium ſufficiunt. Hæc cauſa fuit gravis & diuturni belli, Henningo opem ferentibus Guilielmo ſeniore, Guilielmo juniore, & Friderico, Ducibus Brunov. & Luneburgenſibus, Bartholdo præſule Verdenſi, & urbibus Hildeſiâ ac Hannoverâ. Hi Anno MCCCCLXXII obſidionem arcis Stürwaldenſis cœpere, eandemque anno vertente fame ad deditionem compulere.

Baltha-

(a) *Cranz. Saxon. l. 12. c. 9. Vit. Epiſc. Hildes. MS. in Erneſto.* (b) *Bruſch. de Archiepiſc. & Epiſc. German. epit. c. 11. §. 42. Cranz. Saxon. l. 12. c. 10. Bünting. Chron. Brun. part. 2. p. 58.* (c) *Cranz. metrop. l. 12. c. 8. Bünting. de Epiſc. Hildes. p. 105. Vit. Epiſc. Hildes. MS. in Henn.*

Balthaſar ſe fruſtra contra niti perſpiciens veſtigia in agrum Mekelnburgium relegit, & bellantes tædio turbarum capti Anno MCCCCLXXIV firmam pacem ineunt, quâ Henningo epiſcopatus cunctis jurejurando ſeſe obſtringentibus firmabatur.

Bellum hocce ſubſecuta eſt ſæviſſima peſtis per æſtatem anni MCCLXXII Eimbeccæ & Göttingæ ſæviens, & hyeme ſequente Hildeſiam tranſiens. (a) Hinc Anno MCCCCLXXIII Brunovicum, & ſequente annô Luneburgum, Halberſtadium & in vicinas urbes irrepſit, magnam ubique mortalium ſtragem edens. Haud parum ad hanc luem contulit ferventiſſima æſtas Anni MCCCCLXXIII; tantus enim calor ſolis urentis fuit, ut ſylvæ Hercynia & Bohemica in flammas eruperint, & aliquot milliarium ſpatiô conflagraverint.

CONRADUS Witte præpoſitus XVII Anno à nato Chriſto MCCCCLXXIII die Jovis poſt Dominic. Judica, Eliſabetha Abbatiſſa, Eliſabetha Prioriſſa, & conventus Woltingerodenſis, Bartholdo Ruſſen civi Hildeſienſi promittunt celebrationem anniverſariam memorialem, in ſe recipientes, quòd idem Francobergenſibus octiduô antè ſint denunciaturi, quò cœnobii præpoſitus vel quidam è Capellanis miſſam inſimul celebrare poſſet, acceptô pro labore dimidiô floreni Prioriſſæ Francobergenſi tradendô.

Dominicâ poſt feſtum Paſch. Conradus præpoſitus ædes ſuas in adverſa Innerſtæ ripa ſitas, & ſylvam ad easdem ſpectantem, quâ annis XL uſus fuerat, Henrico Mechtegeshuſen eô locat pactô, ut conventui quotannis XXIV florenos ſolveret.

Henningus præſul finitô bellô enarratô pacificè ſedi ſuæ præfuit ad annum usque MCCCCLXXXI, (b) quô onus muneris ſui pertæſus epiſcopatum cum conſenſu Capituli tradidit Bertholdo præſuli Verdenſi.

N 2

(a) *Compilat. Chronol. ap. Piſtor. ad an. 1472. Chron. Saxon. p. 521. Spangenb. Chron. Mansf. c. 337. Bünting. Chron. Brunov. part. 1. p. 117.* (b) *Cranz. Saxon. l. 12. c. 36. id. metrop. l. 12. c. 17. Chron. Saxon. p. 354. Bünting. Chron. Brun. part. 2. p. 60. Spangenb. Chron. Mansf. c. 342. Vit. Epiſc. Hildes. MS. in Berth. Chytr. Saxon. l. 2. p. 57.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0107-9

denſi. Is, quamvis inſignibus animi dotibus præditus eſſet, turbas tamen evitare haud potuit, populô bellis & rapinis aſſueto. Occaſio hæc erat: Bartholdus, diœceſim ab ære alieno liberare ſtudens, Hildeſienſibus vectigal proponebat legibus ſat juſtis. Hi verò vectigal hocce plane reſpuebant, unde diviſio animorum, diffidentia, querelæ, & muſſitationes ortum duxere. Imò tandem ad manus ventum eſt, Hildeſienſibus Anno MCCCCLXXXV Bartholdo bellum denunciantibus. Is, junctis ſibi Henricô Duce Brunov. & Luneb. Pomeraniæ Ducibus, & nobilibus ſuis, bis in conſpectu urbis comparet, & ſpeculas hinc inde ſitas exurit.

Hildeſienſes verò facta eruptione Hohenhamelam in cineres redigunt, & pluribus copiis ad urbibus Brunovico, Luneburgo, Magdeburgo, Halberſtadio, Goslaria, Northeimio, Göttinga, Eimbecca, & Hannovera, augentur. Præterea Præſules Osnabrügenſis & Mindenſis, Henricus Grubenhagius, & Lippienſes, Hoyenſes, Schauenburgenſes, ac Diepholtani comites, urbis partes amplectebantur. Hinc miſera ubique rerum facies, agris deſolatis, pagis incenſis, colonis verò cæſis & captis. Fridericus III Imperator, has turbas reſciens, pacem Bartholdo imperat, denominato Alberto Saxoniæ electore, qui cauſam cognoſceret: Præſul verò nil id curabat, bellum ſtrenuè proſequens. Goslarienſes noſtri fidem ſociis probaturi arcem Harceburgenſem Anno MCCCCLXXXVI expugnant. Henricus verò Dux Brunov. & Luneb. injuriam hanc ulturus inſidias commodo in loco locat, & cives aſtu ex urbe elicit. Horum animi nuperrimâ victoriâ inflati erant, ideoque incondita turba magno furore è portis erumpit hoſtem vilipendens. Aſt circumventi pars cæduntur, pars capiuntur, reliqui fugâ ægrè elabuntur. Poſt varia damna illata & accepta Bogislaus Pomeraniæ Dux tandem pacem inter bellantes fecit, ſumtibus compenſatis, captivis utrimque dimiſſis, & cuilibet ſuo reddito. Bertholdus poſt hæc ſuos multo favore eſt amplexus, diœceſim ſummâ regens prudentiâ, cœnobium Ringelheimenſe, quod ruinam minabatur, inſtaurans, idem cum monte B. Georgii juxta Goslariam faciens, mores Franciſcanorum Luneburgi degentium corrigens, Rotenburgenſem arcem

in agro

in agro Verdenſi perficiens, ut in eadem Anno MDIII prid. Aſcenſ. Domin. fatô fungens, ſepultus in templo Cathedrali Verdæ.

Haſce turbas inſignis excepit calamitas cœnobio Francobergenſi extremam perniciem inferens. Die enim Veneris poſt Ægidii Anno MCCCCXCIII ignis ex improviſo erumpens tanta ſæviit ferocia, ut brevi temporis ſpatio ſingula cœnobii ædificia in cineres redigerentur, & quinque moniales, tres infantes, aliique auxilio ipſis properantes flamma correpti perirent. Haud patiebatur ſororum curta ſupellex, ut damnum ære ſuo reſarcirent, ideoque piorum hominum opem implorare, & eleemoſynas hinc inde colligere decernebant. Hunc in finem die Martis poſt III Magor. A. MCCCCXCIV literas à ſenatu Goslarienſi impetrant datas ad urbes Hameliam, Lemgoviam, Blombergum, Hervordiam, Bilefeldam, Warendorpium, Telgetum, Monaſterium, Oſnabrugam, Bekenam, Sendenhorſtum, Alenam, Lippam, Hammam, Unnam, Camenam, Cunnercum, Veſaliam, Rezam, Calcarium, Cliviam, Arnheimium, Neomagum, Rurmondam, Trajectum ad Rhenum, Amſtelodamum, Hardervicum, Edamum, Monnikedamum, Roterodamum, Lugdunum Batavorum, Hagam-Comitum, Zutphaniam, Coloniam Agrippinam, Dortmundam, Werlam, Suſatum, Geſecam, Soltcothum, & Paderbornam, quibus eædem rogabantur, ut ſororum miſeriæ & inſigni calamitati larga eleemoſynarum erogatione ſubvenire haud detrectarent.

Anno MCCCCXCV Domin. Quaſimodogen. Conradus præpoſitus, Margaretha Prioriſſa, & conventus Francobergenſis, acceptis ab Henningo Rodehoſen & Henrico Witten, teſtamentariis Henrici Rodehoſen fratris Henningi, XL florenis, proventum annuum duorum florenorum iisdem vendunt, hoc pacto, ut Henrico mortuo prædicti XL floreni ad conventum devolverentur.

Annô MDI Bertholdus præſul Hildeſienſis eccleſiaſticum beneficium templo B. Petri collatum hiſce literis ratum habet:

BARTHOLDUS DEI & apoſtolice ſedis gracia epiſcopus Hildeſemenſis, ac Verdenſium eccleſiarum ad-

miniſtrator perpetuus, univerſis & ſingulis has noſtras literas viſuris & inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Sanctiſſimi corporis Domini noſtri JESU CHRISTI Salvatoris, qui, tranſiturus de hoc mundo ad patrem ſummum & magnificum, ſui corporis & ſanguinis memorabile ſacramentum inſtituit, corpus in cibum & ſanguinem in poculum tribuendo, memorabile, inquam, ac ſtupendum, delectabile, ſuave, tutiſſimum, & ſuper omnia precioſum, cujus memoracio glorioſa fidelium animos replet gaudio ſalutari, & cum infuſione leticie lacrymas ſubminiſtrat, decet Chriſti fideles ſumma devocione memoriam peragere, ac ipſum puris mentibus, manibus & precordiis devotiùs adorare. Cum itaque premiſſorum inſtinctu dilectus nobis in Chriſto Petrus Grymmen Laicus oppidi Goslarienſis noſtre Hildeſem. dioceſis pro ſua ſuorumque ſalute Capellaniam ſive eccleſiaſticum beneficium perpetuum ad altare ſanctiſſimi corporis Domini noſtri JESU CHRISTI predicti ſitum in parochiali eccleſia S. Petri tom Frankenberge vulgariter nuncupati, oppidi & dioceſis predictorum, per eum de bonis ſibi à DEO collatis conſtructum fundaverit & dotaverit, ac ut ſingulis quintis feriis cujuslibet menſis annis ſingulis venerabile eucariſtie ſacramentum ejusdem corporis Domini noſtri JESU CHRISTI, in quodam receptaculo predicte eccleſie depoſitum, de receptaculo ipſo ad prefatum altare & alias cum reverencia & honore debito, ſub miſſarum & aliorum divinorum ſolempniis, per dicte eccleſie rectorem,

rem, ſeu per alium ydoneum, deferri poſſit, a ſancta ſede apoſtolica impetraverit & optinuerit, prout in literis ſuper hoc confectis ac nobis exhibitis plenius continetur. Nos, qui ex paſtoralis officii debito, ut in noſtra dioceſi cultus divinus adaugeatur, diligenti cura promovere tenemur, hoc ſalubre dicti Petri Grymmen propoſitum ac inſtitutum tanquam racionabile adeoque acceptum approbantes volentesque, ut ex premiſſis ſinguli Chriſti fideles dono celeſtis gracie uberius reficiantur, de omnipotentis DEI miſericordia, ac B. B Petri & Pauli Apoſtolor. auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus vere penitentibus & confeſſis qui in miſſarum divinorumque ſolempniis ac venerabilis eucariſtie ſacramenti delacione predictis devote interfuerint, totiens quotiens de injunctis ſibi penitenciis XL dies indulgenciarum miſericorditer relaxamus. In quorum omnium fidem & teſtimonium has noſtras literas conceſſimus, noſtroque ſigillo juſſimus & fecimus communiri. Datum in caſtro noſtro Sturwaldis anno a nativitate Domini MDI; die vero Sabbato XVII menſ. Aprilis.

Anno MDVI die Mercur. poſt Joh. Bapt. conventus civibus quibusdam Goslarienſibus ad dies vitæ hortum ſuum locat, pacto, ut pro eodem ſingulis annis ſolidum ſolverent.

Anno MDXI die Vener. poſt Barbar. Virg. Johannes Schaper plebanus templi D. Thomæ Goslariæ conventui vendit unam marcam proventus annui XIV marcis Goslarienſibus.

Anno MDXV prid. Epiphan. Domin. Bertholdus Sotinus Vicarius cœnobii Francobergenſis eidem vendit ædes ſuas Goslariæ ſitas LXIII marcis.

Anno

Anno MDXIX die Sabb. paſch. Senatus Goslarienſis ab HENNINGO præpoſito XVIII, Eliſabetha Prioriſſa, & conventu Francobergenſi CC marcas Goslarienſes mutuò ſumit, promiſſo XII marcarum cenſu annuô.

Anno MDXX die Lunæ poſt III Magor. Heyſo Bundekenne civis Goslarienſis C marcas à cœnobio mutuò ſumit, ædibus ſuis Goslariæ pro hypotheca conſtitutis.

Mortuò, ut dictum, Bertholdo præſule Hildeſienſi ad ſedem pervenit Ericus Dux Saxoniæ inferioris & Canonicus Colonienſis. (a) Huic Capitulum, Clerus, & ordines, ampla dedere dona, quæ unà cum tributo è diœceſi exacto ſecum abſtulit, traditô munere ſuo fratri Johanni, cùm per anni ſaltem ſpatium ſedi præfuiſſet.

Johannes, conſenſu Capituli impetrato, prid. B. Oſwaldi Anno MDIV Hildeſiam cum D equis intravit, ſecum habens Magnum fratrem, Antonium Schauenburgium, & Simonem Lippienſem Comites, ac præter hos magnam nobilium & clericorum turbam.

Huic V & IV Cal. Septembr. Vaſalli eccleſiæ & civitas Hildeſienſis jurejurandum fidelitatis præſtitere, quos ordine poſteà ſecuti ſunt Peynenſes, Bokelnheimenſes, Alveldenſes, Daſſilienſes, Bodenwerderenſes, Gronovienſes, Eltzenſes, aliique. Anno regiminis tertio Romam migravit, ibidemque à Julio II Papa confirmatus eſt. Commodo eccleſiæ ſuæ invigilans arces nobilibus in bellis præteritis oppignoratas ab iisdem redimere conſtituit. Hoc graviſſimo bello Hildeſienſi anſam dedit, quod diœceſim ſaltem non funditus peſſundedit. (b) Amplum illud nimis eſt, ut hìc loci deſcribi poſſit; hoc ſaltem referre conſultum duxi, nobiles Hildeſienſes Anno MDXVI prid. B. Joh. Baptiſt. cùm Henrico juniore, Guilielmo & Erico ſeniore, Ducibus Brunov. & Luneburg. arctum iniiſſe fœdus, multùm poſteà damni diœceſi inferens.

(a) *Bruſch. ep. de Archiepiſc. & Epiſc. Germ. c. 11. §. 45. Vit. Epiſc. Hildes. MS. in h. Epiſcopo. Chytr. Saxon. l. 2. p. 57.* (b) *Vid. de hoc bello Chytr. Saxon. l. 8. p. 205. Letzner. Chron. Daſſil. l. 2. c. 19. Vitas Epiſc. Hildes. MS. in hoc Epiſcopo. Fabric. mem. Saxon. l. 2. p. 316. Bünting. Chron. Brun. part. 1. p. 127. & tandem receſſ. Quedlinburgenſem.*

rens. Nam Johanne præſule & aſſeclis ejus proſcriptis, & executione Henrico juniori ac Erico demandata, tota ferè diœceſis occupata & præfatis Ducibus decreto Cæſareo adjudicata fuit. Johannes ad epiſcopatum perveniens novem poſſedit urbes, VI vicos, VI comitatus, XXIV arces hæreditarias, varia cœnobia, ac inſignem pagorum & villarum numerum. Sed pace Anno MDXXIII prid. Aſcenſ. Domini Quedlinburgi inita vix tertia eorum pars diœceſi relicta eſt, adeò grave damnum eidem ex hoc bello contigit. Johannes, nullum remedium malo afferre ſciens, epiſcopatum cum conſenſu Capituli Balthaſari Merkelio à Waldkirchen, Caroli V Imperatoris Pro-Cancellario, tradidit Anno MDXXVII ad fratrem Magnum Lauenburgum ſeſe contulit, & tandem in ſumma miſeria exul obiit.

Anno MDXXI Eliſabetha Prioriſſa, Eliſabetha Sub-Prioriſſa, Ymeke cuſtos, Catherina Cellaria, & conventus Francobergenſis Henrico Blomberg, Henningo Dyling, & Conrado Calbecht, Diaconis templi parochialis ibidem, mortuô Jordanô Odenhuſen altariſtâ aræ B. Joh. Evang. ſitæ in ſacello, quod eſt ſupra ſacellum B. B. Brixii & Eraſmi, in præfato templo, Johannem Leynemannum diœceſis Hildeſienſis Clericum die Zungii Epiſc. & Confeſſ. proponunt.

Illuceſcebat paulatim in agro Saxonico divini cultus verum lumen, & tandem hoc anno Goslariam quoque pertranſibat, (a) rem gerente Johanne Cleppio, Vicario D. Jacobi. Hunc ſtrenuè juvit Johannes Weſſelius, & utrumque ſublevavit Nicolaus Ambſtorffius, qui primus diſciplinam & ritus eccleſiaſticos in ordinem redegit, eccleſiarum curam D. Johanni Amando committens. Hinc fidelium numerus indies crevit, & Evangelium in monachorum & monialium clauſtra quoque perrupit, ſorores ſic dictas pœnitentes verè pœnitentes reddens.

Hæ Anno MDXXII iterum ſenatui Goslarienſi centum florenos mutuò dant.

Abdicante ſeſe à munere ſuo Johanne præſule Hildeſienſi, Balthaſar

(a) *Vid. Joh. Sleidan. hiſtor. l. 1. & 2. & Chytr. Saxon. l. 7. & 8.*

ſar Merkelius ſeu Merklinus, uti retuli, locum ejus ſupplevit. Stürwaldam Anno MDXXVIII die Veneris B. Martin. inſequente veniens cunctos comitate, favore, & ſtudio in rempublicam adeò ſibi devinxit, ut quivis aureum ſeculum ſub hoc præſule reſuſcitatum iri crederet. Sed brevi poſt eccleſia ſua derelicta (a) ad Imperatorem in Hiſpaniam perrexit, & cum eodem iter Italicum ingrediens Bononiæ confirmationem papalem impetravit. Regalibus à Carolo V Auguſtæ Vindelicorum inſtructus ſedem Conſtantienſem Hildeſienſi junxit. Treveros porrò inviſens gravi morbo corripitur & vivere deſinit ipſo die Pentecoſtes Anno MDXXXI, ſepultus ad B. Simonis ibidem.

Anno MDXXVII graves turbæ inter Henricum jun. Ducem Brunov. & Luneb. ac Goslarienſes ſunt obortæ, quæ originem ex hoc trahebant; priſci Duces Brunov. & Luneburgenſes urbi metalli-fodinas, ſylvas, & ejusmodi farinæ alia bona oppignoraverant. Hæc argento oblato redimere tentabat Henricus, Goslarienſibus pecuniam oblatam minimè accipientibus. (b) Hanc ob cauſam præfatus Dux varias moleſtias civibus creavit, & præprimis cœnobium Reiffenbergenſe haud procul ab urbe ſitum probè munivit. Rumor ferebatur, idem cum monte B. Georgii tentatum iri. Cives, quò id impedirent, armata manu ex urbe erumpunt, aliquot è Brunovicenſibus cædunt, cœnobia vicina in cineres redigunt, & montem B. Georgii urbi imminentem funditus evertunt.

Henricus facinus tam atrox ulturus urbem in cauſa fractæ pacis coram judicio imperiali compellat, & hoc eodem anno ſententiam proſcriptionis obtinet. Hanc executurus itinera ad urbem milite obſidet, & Goslarienſes eò redigit, & fœderis Smalcaldici opem implorare cogerentur. Socii proſcriptione ſublata mandata à Cæſare impetrant, ne quis urbem turbaret. Nil hæc curavit Henricus, ſed bellum Gosla-

(a) *Bruſch. epit. de Archiepiſc. & Epiſc. German. c. 11. §. 47. Vit. Epiſc. Hildes. MS. in hoc Epiſc. Chytræi Saxon. ad an. 1521.* (b) *Chytr. Chron. Saxon. l. 8. ad a. 1527. & l. 10. ad an. 1542. Schard. ſcript. Germ. T. 2. p. 407. Sleidan. hiſtor. l. 15. ad an. 1542. Chron. Saxon. p. 601. & ſeqq.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0114-8

Goslarienſibus indixit, id ſaltem curæ habens, ut eosdem ſub jugum mitteret. Ad extrema igitur redacti denuò ad principes dicti fœderis confugiunt, qui ſociam urbem liberaturi Anno MDXLII inſignem adducunt exercitum, & Henricum è toto agro Brunovicenſi pulſum in Bavariam ſecedere cogunt, de quo agere hujus non eſt loci.

CONRADUS III præpoſitus XIX, de quo nil ampliùs occurrit, quàm quòd circa Annum MDXXII vixerit.

HENNINGUS II præpoſitus XX die Domin. Cantate Anno MDXXXIII in Capitulo conſueto Henrico Dronewulfe altariſtæ ſuo ædes haud procul à templo majore ſitas XL marcis Goslarienſibus ad dies vitæ hac vendit lege, ut poſt ejus mortem eædem ad cœnobium redirent.

Balthaſari præſuli Hildeſienſi Anno MDXXXI ſucceſſit Otto III, Comes Schauenburgenſis, petente Carolo V Imperatore electus, ſed confirmationem papalem minimè ambiens. Quamnam hæc mora habuerit cauſam, anne negligentiam aut imperitiam, an verò nummorum defectum, divinare equidem nequeo. Hoc ſaltem conſtat, Paulum III Papa ægrè id ferentem ſerio ad capitulum ſcripſiſſe, ut de novo præſule denominando eſſent ſolliciti, ne diœceſis quid damni pateretur, ſemeſtri tantùm ſpatiò pro hoc negotio ipſi conceſſo. (a) Canonici igitur Anno MDXXXVII unanimi conſenſu elegere Valentinum à Thetleben J. U. D. Præpoſitum D. Bartholomæi Francofurti ad Mœnum, virum prudentem & in rebus politicis verſatiſſimum. Is Romam pergens à Papa ſolenni ritu confirmatur, & X Cal. Junii Anno MDXXXVIII Hildeſiam revertitur, ſummò ſtudiò & labore res epiſcopatus curans, quamvis haud modicò tædiò à quibusdam nobilibus & civitate Hildeſienſi ſit affectus. Multa quoque beneficia contulit eccleſiæ cathedrali Hildeſienſi, ſacellum S. Annæ porticibus incluſit & eandem ſuffraganeo Epiſcopi in æternum addixit. Tandem Moguntiam quæ inſignis ad Rhenum eſt urbs, migravit, ibidemque, obiit

(a) *Bruſch. ep. de Archiepiſc. & Epiſc. Germ. c. 11. §. 49. Bünting. de Epiſc. Hildes. p. 611. ed. Meibom. Vit. epiſc. Hildes. MS. in hoc Epiſc.*

obiit Anno MDLI, ſepultus in cœnobio Franciſcanorum ibidem.

Henricus III Fricken præpoſitus XXI die Aſſumt. Domin. Anno MDXLIV Johanni Pavvel pratum quoddam Lütkenbergam & Dachſteinium interſitum in triennium locat.

Conradus Witte plebanus templi forenſis Goslariæ Anno MDXII die Domin. divis. Apoſtolor. ſequente teſtimonium tulerat, quòd cœnobio Francobergenſi ultra XL annos præpoſiti titulô præfuiſſet, ideoque de ſitu & jure ſylvarum ejus optimè edoctus eſſet. Locum in monte Nauerio, quem vulgò Knick vocant, ſylvæ limitem haud eſſe, ſed ante hos LX annos ab Aſchvvino de Svichelde aliisque per conventus ſylvas eſſe ductum, imò ſeipſum tam in quàm extra eundem locum ligna, nemine id impediente, cædi feciſſe. Hoc teſtimonium conventus X Cal. Auguſti Anno MDXLVI à Cyriaco Schachting notario publico in formam inſtrumenti redigi curavit.

Valentinum præſulem Hildeſienſem excepit Fridericus Friderici I (a) filius, Chriſtiani III Daniæ Regis frater, Dux Holſatiæ, die Dominica feſtum Michaëlis inſequente Anno MDLI qui Hildeſiam XVI Cal. Octobr. Anno MDLIV intravit. Pauco temporis ſpatio in epiſcopatu permanſit, confirmatione impetrata in Holſatiam rediit ægrotans. Obiit Sleſvici prid. Sim. & Judæ Anno MDLVI, ætatis XXV, ſepultus ibidem.

Succeſſit eidem Burchardus ab Oberge, qui haud modicô temporis ſpatiô cum Capitulo altercavit. Cumque algidum etiam Hildeſienſium amorem experiretur, per biennium ſecuritatis gratiâ in arce Woldenbergenſi eſt commoratus. Arcem Mariæburgenſem poſteà occupans eandem octo annorum ſpatiô poſſedit. Pace verò inter Præſulem, Capitulum, & Hildeſienſes concluſa, & confirmatione à Pio IV Papa impetrata, triumphali ritu urbem Hildeſienſem intravit, ſolitis ſolennibus inauguratus. Anno MDLXIV Stürvvaldam arcem

M XXXVI

(a) *Bünting. de Epiſc. Hildes. p. 612. ed. Meibom. Vit. Epiſc. Hildeſ. MS. in hoc Epiſcopo.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0116-9

XXXVI imperialibus ab Holſatiæ Ducibus redemit, Capitulo Mariæburgum reddidit, (a) &, cùm XVII annis munere ſuo functus eſſet, obiit X Cal. Febr. Anno MDLXXIII in arce Stürvvaldenſi, ſepultus in templo cathedrali Hildeſiæ, ſucceſſorem habens Erneſtum præſulem Friſingenſem & Ducem Bavariæ.

Anno MDLXXI die Mercur. poſt Pancrat. transactum eſt mediantibus à parte cœnobiorum juſſu Julii Ducis Brunov. & Luneb. Matthia Bötticher, & à parte Goslarienſium Valentino Groſſeheim, Henningo Slüter, & Tobia Mundeken, inter cœnobia Novi-Operis, Francobergenſe, & Grauhofianum, ac Senatum Goslarienſem hac ratione, ut Senatus Francobergenſibus villam Bonyemenſem, cujus proventus aliquot annorum ſpatio ſuis uſibus addixerat, redderet, promiſſô à Julio Duce acceptô, villam Hennenrodenſem ad templum parochiale D. Stephani Goslariæ ſpectantem ſenatui reſtitutum iri. Reditus & proventus ex ambabus villis hucusque percepti compenſarentur, & Tabulæ, inſtrumenta, ac documenta, villam Hennenrodenſem concernentia & abalienata theſaurariis Goslarienſibus redderentur. Prætereà moniales vicariam, tempore papiſmi ab ipſis conferri ſolitam, jam verò alendis paſtoribus aliisque piis operibus dicatam, ſenatui, renunciatione prævia, tradere tenerentur. Senatus è contra diſpenſationem ſalariorum, paſtoribus & æditius Francobergenſibus ſolvi ſolitorum, in ſe reciperet : Conventus verò lignum, frumentum, cereviſiam, aliaque ab antiquo ipſis erogari ſolita, impoſterum dare haud teneretur. Supellex cœnobii ſacra pretioſa & veſtes miſſales conventui eô pactô redderentur, ut, ſi Paſtor aut Capellanus iisdem ad ritus eccleſiæ celebrandos indiguerit, eadem ipſi commodarentur, hæcque curæ Diaconi dicti templi more hactenus obſervato committerentur.

Lites quoque Senatus cum Pancratio Becker cive Goslarienſi, & Johanne Buſſen Paſtore Hercenſi ob duas vicarias in templo Forenſi & Francobergenſi, quotannis XL marcas Goslarienſes ſolventes, qua-

(a) *Bünting. de Epiſc. Hildes. ed. Meibom. p. 612. Vit. Epiſc. Hildes. MS. in Burchardo.*

rumque jus patronatus vigore fundationis ad dictum Beckerum ſpectabat, hac ratione componebantur : Beckero ejusque hæredibus jus præfatum imperturbatum remaneret, is verò puerum XIV aut XV annorum, ingenii capacis, & fundamenta Grammatices edoctum, è ſtirpe Senatus & theſaurariorum prognatum, proponeret, ſenatus verò eidem præfatas XL marcas ad proſequendum ſtudia in quinquennium exſolveret. Hôc elapſo ſenatus eôdem temporis ſpatiô reditibus præmemoratis frueretur, eodemque alendis paſtoribus ſuis impenderet. Poſt novum quinquennium Beckerus alium puerum proponeret, & ſic alternis vicibus in perpetuum.

Reliqua cœnobia Novi-Operis & Grauhofianum concernentia, hûc minimè ſpectant, ideoque eadem in medium proferre ſupervacaneum erit.

Et hæc ſunt, quæ de cœnobio Francobergenſi literis mandare conſultum duxi : reliqua enim enumerare pretium non eſt, cùm parum notatu digne contineant. Sub finem ampla privilegia ordini B. Mariæ Magdalenæ per Germaniam à Gregorio IX Papa conceſſa ſubjungere lubet :

Venerabilibus Dominis in Chriſto dilectis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Præpoſitis, Archidiaconis, Prioribus, Decanis, & aliis eccleſiarum Prelatis, per Alemanniam conſtitutis, CONRADUS DEI gracia Hildenſemenſis Epiſcopus oracionum & obſequii promtam in Domino devocionem. Quoniam ſumus à Domino Papa defenſores conſtituti Prepoſiti & ſororum B. Mar. Magdal. in Alemannia, & eccleſiarum, bonorum, privilegiorum, & aliorum omnium, que poſſident racionabiliter & poſſidebunt, conſultum nobis viſum eſt, ut reſcripta privilegiorum dictus prepoſitus vel ſorores penes ſe habeant ſub bulla noſtra, ne quid periculum circa ipſa privilegia contin-

contingeret ſecum ducta jugiter & ducenda. Eſt autem hoc : GREGORIUS epiſcopus ſervus ſervorum DEI dilectis in Chriſto filiabus, prioriſſe B. Marie Magdalene in Alemannia, ejusdem ſororibus penitentibus tam preſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum. Religioſam vitam eligentibus apoſtolicum convenit adeſſe preſidium, ne forte cujuslibet temeritatis incurſus aut eas a propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacre religionis infringat. Ea propter, dilecte in Chriſto filie, veſtris juſtis poſtulacionibus clementer annuimus, & prefatum monaſterium S. Marie Magdalene, in quo divino eſtis mancipate obſequio, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & preſentis ſcripti privilegio communimus. Preterea quascunque poſſeſſiones, quecumque bona idem monaſterium impreſenciarum juſte ac canonice poſſederit, aut in futurum conceſſione pontificum, largicione Regum vel principum, oblacione fidelium, ſeu aliis juſtis modis preſtante domino poterit adipiſci, firma vobis & his, que vobis ſucceſſerint, illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis, locum ipſum, in quo prefatum monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinenciis ſuis, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, uſuagiis, & paſcuis, in boſco & plano, in aquis & molendinis, in viis & ſemitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus ſuis. Sane laborum veſtrorum, quos de poſſeſſionibus habetis ante concilium generale, aut etiam novalium, que propriis manibus aut ſumtibus colitis, ſive de or-

de ortis & virgultis & piſcacionibus veſtris, vel de nutrimentis animalium veſtrorum, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere preſumat. Ad hec liceat vobis perſonas liberas abſolutas a ſeculo fugientes ad converſionem recipere, & eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper, ut nulli ſororum veſtrarum, poſt factam in monaſterio veſtro profeſſionem, fas ſit ſine prioriſſe ſue licencia de eodem loco diſcedere, diſcedentem vero absque omnium literarum veſtrarum caucione nullus audeat retinere. Inſuper auctoritate apoſtolica inhibemus, ne ullus epiſcopus vel alia quelibet perſona ad ſinodos vel conventus forenſes vos ire, vel judicio ſeculari vocare, vel . . . . . propria . . . . . . vel poſſeſſionibus veſtris ſubjacere compellat, nec ad domos veſtras cauſa ordines celebrandi venire preſumat, nec prioriſſe veſtre regularem electionem impediat, aut de inſtituenda aut removenda ea, que pro tempore fuerit, circa ſtatuta Ciſterciensis ordinis ſe aliquatinus intromittat. Pro conſecracionibus quoque altarium vel eccleſiarum, vel quolibet eccleſiaſtico ſacramento, nullus à vobis ſub obtentu conſuetudinis aut alio modo quicquam audeat extorquere, ſed hec omnia vobis epiſcopus dioceſanus impendat. Alioquin liceat vobis quemcunque malueritis catholicum adire antiſtitem, graciam & communionem apoſtolice ſedis habentem, qui noſtra fretus auctoritate quod poſtulatur impendat. Quod ſi ſedes dioceſani epiſcopi forte vacaverit, interim omnia eccleſiaſtica ſacramenta a vicinis epiſcopis

ſcopis accipere libere & absque contradictione poſſitis, ſic tamen, ut ex hoc impoſterum propriis epiſcopis nullum prejudicium generetur. Quia verò interdum propriorum epiſcoporum copiam non habetis, ſi quem epiſcopum Romane ſedis, ut diximus, graciam & communionem habentem, & de quo plenam noticiam habeatis, per vos tranſire contigerit, ab eo benedictiones vaſorum & veſtium, conſecraciones altarium, ordines monialium, auctoritate apoſtolice ſedis recipere valeatis. Porro ſi epiſcopi vel alii eccleſiarum Rectores in monaſterium veſtrum, vel perſonas inibi conſtitutas, ſuſpenſionis, excommunicacionis, vel interdicti ſentenciam promulgaverit, ſive eciam in mercenarios veſtros pro eo quod decimas, ſicut dictum, eis non perſolvitis, ſive aliqua occaſione eorum, que ab apoſtolica benignitate vobis indulta ſunt, ſeu benefactores veſtros pro ea, quod aliqua vobis beneficia vel obſequia ex caritate preſtiterint, vel ad laborandum adjuverint in illis diebus, in quibus vos laboratis, & alii feriantur, eandem ſentenciam protulerint, ipſam tanquam contra ſedis apoſtolice indulta prolatam duximus irritandam, nec litere ille firmitatem habeant, quas tacito nomine Ciſtercienſis ordinis & contra tenorem apoſtolicorum privilegiorum conſtiterit impetrari. Preterea cum commune interdictum terre fuerit, liceat vobis nichilominus in veſtro monaſterio, excluſis communicatis & interdictis, divina officia celebrare. Paci quoque & tranquillitati veſtre paterna impoſterum ſollicitudine provi-

dere volentes auctoritate apoſtolica prohibemus, ut infra clauſuras locorum ſeu grangiarum veſtrarum nullus rapinam ſeu furtum facere, ignem apponere, ſanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, ſeu violenciam audeat exercere. Preterea omnes libertates & immunitates à predeceſſoribus noſtris Romanis pontificibus ordini veſtro conceſſas, nec non & libertates & exceptiones ſecularium exactionum a Regibus & principibus, vel aliis fidelibus, racionabiliter vobis indultas, auctoritate apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti privilegio communimus. Decernimus igitur, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet vexacionibus fatigare, ſed ea omnia integra conſerventur, eorum, pro quorum gubernacione ac ſuſtentacione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva ſedis apoſtolice auctoritate. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica, ſecularisve perſona, hanc noſtre conſtitucionis paginam ſciens, contra eam temere venire reputaverit, ſecundo tertiove commonita, nec reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis honorisque ſui careat dignitate, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate ſciat, & a ſanctiſſimo corpore & ſanguine DEI & Domini redemtoris noſtri JESU CHRISTI aliena fiat, atque in extremo examine diſtricte ſubjaceat ulcioni. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri JESU CHRISTI, quatenus & hic fru-

fructum bone actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem premia pacis eterne inveniant. Liceat eciam Capellano veſtro in altari viatico officia celebrare, donec veſtra eccleſia conſecretur. Item obeunte prepoſito veſtro nullus vobis ſurrepatur aſtucia, niſi quem vos canonice duxeritis eligendum. Electus verò a vobis a nemine niſi a Romano Pontifice confirmetur. Item ut eccleſias, que vobis fuerint canonice & pia & provida liberalitate collate, poſſitis recipere ac libere retinere, auctoritate vobis preſencium indulgemus. Item liceat vobis habere liberam ſepulturam quorumlibet, qui ſepulturam in veſtro monaſterio duxerint eligendam.

Sigillum Conradi Epiſcopi Hildenſemenſis.

F I N I S.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0123-8

Yf 1436 Bl

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0124-4

Q. K. 398, 32.
(2 1070)
Y b
1436

C... ...CON ...I

MO... ...TIS-
FR... ...RUM
G... ...Æ,

Ejusdem G... ..., fata, incrementa & decr... ...poſitorum enumerans, Pontificum... ..., Ducum, Comitum, Dynaſtarum, & ... Diplomata, Tabulas, & literas recenſens ... in adſitis terris memoratu digna e... ...æſulum Hildeſienſium, ...s explicatæ,

Ex optimæ no... ...thenticis congeſtum.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)
BIBLIOTHECA ...ONICKAVIANA

...T I,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-64014-p0125-9
DFG